2 K 0.5 7
STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Studio Addictus

TRACTATUS
DE DEO REDEMPTORE

TRACTATUS
DE DEO REDEMPTORE

AUCTORE

G. VAN NOORT
PAROCHO AMSTELODAMENSI

EDITIONEM QUARTAM CURAVIT
J. P. VERHAAR
S. THEOLOGIAE IN SEMINARIO WARMUNDANO PROFESSOR

WITHDRAWN

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

1925

SUMPTIBUS SOCIETATIS EDITRICIS ANONYMAE
(ANTEA PAULI BRAND)
HILVERSUM
IN
HOLLANDIA

STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE

IMPRIMATUR

Evulgetur
Dr. J. TH. BEYSENS
Libr. censor ad hoc dep.

Soest, die 13a Novembris 1925.

507
VAN
5034

TRACTATUS
DE DEO REDEMPTORE

INTRODUCTIO

De necessitate reparationis humanæ et incarnationis

Ineffabilis Deus, cujus viae misericordia et veritas, cum 1
ab omni aeternitate praeviderit luctuosissimam totius humani generis ruinam, ex Adami transgressione derivandam, in mysterio a saeculis abscondito decrevit primum suae bonitatis opus per Verbi incarnationem sacramento occultiore complere. Advenit igitur in beata temporum plenitudine, quem statim post lapsum Deus obscurius promiserat, postea per prophetas clarius praenuntiaverat, Redemptor noster, Jesus Christus,

[1] Speciales de hac materia tractatus ediderunt e. g. Lud. Legrand (+ 1780), *Tract. de incarn. Verbi divini*, apud Migne, *Theol. curs. compl.* t. IX; J. B. Franzelin, *de Verbo incarn.* Ed. 3. Romae, 1881; B. Jungmann, *Tract. de Verbo incarn.* Ed. 5, Ratisb. 1897; P. Einig, *Tract. de Verbo incarn.* Trevir. 1899; L. Janssens, *Tract. de Deo-Homine*, 2 Vol. Friburgi, 1901—1902; L. Billot, *de Verbo incarn.* Ed. 5, Romae; J. Muncunill, *Tractatus de divini Verbi incarnatione*, Matritii, 1904; A. M. Lépicier, *Tractatus de incarnatione Verbi*, Paris 1906; J. H. Selten, *Tractatus de Deo Redemptore*, Buscoduci, 1905; Joh. Bade, *Christotheologie*, Paderb. 1870; C. von Schätzler, *Das Dogma der Menschwerdung Gottes*, Friburgi. 1870; J. H. Oswald, *Die Erlösung in Christo-Jesu*, 2 Vol. Ed. 2, Paderb. 1887; J. Souben, *Le Verbe incarné*, Paris, 1902; M. J. Scheeben, *Die Mysterien des Christenthums*, 3e Aufl. bearb. von Dr. A. Rademacher, Cap. V, Freiburg. 1912; J. Laminne, *La Rédemption, étude dogmatique*, Bruxellis, 1911; Dr. C. Gutberlet,

qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Unigenitus siquidem Filius Dei, uti bonus samaritanus ad hominem spoliatum ac vulneratum appropinquavit, naturam humanam assumendo, ejus damna ac vulnera copiosa redemptione restauravit, eumque in stabulum ecclesiae suae duxit, de misero homine curam gerens tenerrimam, tum per seipsum, tum per stabularios suos, ministros scil. ecclesiae [1].

2 Antequam tractatum aggredimur, pauca praefari placet *de necessitate reparandi hominem lapsum, sive utcumque, sive per incarnationem Verbi,* necnon de duabus quaestionibus connexis.

Manifestum est, genus humanum per peccatum protoparentis e dignitate filiorum Dei dilapsum, non potuisse per semetipsum ad pristinum statum resurgere: quo pacto enim naturalibus viribus dona supernaturalia recuperasset [2]? Non quaeritur itaque, num homo, ut e servitute peccati et captivitate daemonis liberaretur, reparatione divina, auxilio scil. supernaturali indiguerit; sed quaestio est *primo*: num Deus sibi, i.e. justitiae aut bonitati suae, debuerit hominem ad pristinam dignitatem reparare; *deinde:* num, supposita voluntate Dei reparandi hominem, necessaria fuerit incarnatio personae divinae.

3 1. *Reparatio hominis lapsi non erat necessaria, sed conveniens tantum.* — Assertio intellegenda est non solum de reparatione per Verbum incarnatum, sed de qualibet restau-

---

Der Gottmensch Jesus Christus, eine Begründung und Apologie der Kirchlichen Christologie, Regensburg, 1915; L Labauche, *Leçons de théologie dogmatique; La Dogmatique spéciale.* t. I, Paris, 1911; L. Grimal, *Jésus-Christ étudié et médité,* t. I, Paris, 1910; C. van Crombrugghe, *Tract. de Verbo incarnato,* Gent. 1909.

[1] Cfr. *Luc.* **10,** 30 seq., cfr. J. V. Bainvel, *Nature et Surnaturel,* Paris, 1911, chap. VIII, *La réparation.* — [2] Cfr. *Conc. trid.* S. 6, cp. 1, Denz.

ratione seu restitutione bonorum per peccatum amissorum.

a. *Non fuit necessaria.* Bona per peccatum deperdita erant supernaturalia, proinde indebita; atqui magis indebitum est, bona gratuita culpabiliter amissa restituere, quam ea primo conferre. Hinc reparatio tum a Scriptura[1], tum a Patribus peculiari misericordiae caritati Dei tribuitur.

Sane poterat Deus protoparentibus statum post lapsum vitam adimere, et ita propagationem generis nostri impedire; poterat iis vitam et posteritatem donare, sed „in ea, in quam incideramus, conditione nos relinquere, nec in pristinum supernaturalem finem reparare"[2].

At haec doctrina rite intellegenda est. Sensus est, Deum propter solum peccatum originale potuisse universum genus humanum perpetuo excludere a gratia et beatitudine supernaturali; sed non sequitur, eum propter hanc solam causam totam posteritatem Adae gehennae perpetuae cruciatibus, poenis scil. positivis, addicere potuisse; non sequitur, eum propter solam labem originalem hominem potuisse praecludere ab iis bonis, quorum fruitio constitueret finalem nostram felicitatem in statu naturae purae. Revelatio haec non docet, et justitia Dei ea pati nullatenus videtur, secundum illud S. THOMAE: „Quod detrimentum patiatur [aliquis] in his quae sunt naturae, hoc non videtur posse contingere nisi propter vitium proprium personae"[3]. Quid igitur? Fides non docet, quid Deus fecisset, si hominem redimere noluisset; praesumendum tamen est, eum posteris Adae daturum fuisse media naturalia ad vitanda peccata personalia, ut ita felicitatem aliquam naturalem sibi comparare potuissent. Ad rem SUAREZ: „Licet Deus post praevisum originale peccatum statuisset homines non redimere per Christum, vel omnino illos non restituere ad felicitatem supernaturalem, neque ad gratiam, nihilominus (quantum cogitari potest) non crearet

---

[1] *Rom.* 3, 23—24; *Ephes.* 2, 4; *Tit.* 3, 5. — [2] *Syn. prov. Ultraj.* tit. I, C. 10 — [3] *De malo.* 5, 2, c., cfr. Bainvel, o.c. p. 253.

illos destitutos debita et convenienti providentia naturali, neque hoc esset debitum peccato originali; sed potius illos relinqueret in hoc mundo tamquam viatores in ordine ad comparandam in hoc mundo Dei cognitionem et virtutem, et consequenter ad obtinendum post mortem, saltem in anima separata, aliquem statum naturalem vel felicem in suo ordine et gradu, vel saltem carentem speciali dolore et poena sensus, si nova peccata non committerent"[1].

4 b. *Fuit tamen conveniens* aliqua reparatio, praesertim ratione modi, quo genus humanum ceciderat; non enim singuli voluntate personali gratiae dona abjecerant, sed omnes simul in uno Adam, capite suo, peccaverant. Praeterea ipsi protoparentes non ex sese, sed ex suasione diaboli ad peccatum devenerant. Posteriora peccata quod attinet, ipsa fragilitas hominum peccantium divinam misericordiam invocabat

5 2. *Supposita voluntate Dei reparandi hominem, incarnatio non erat necessaria, sed conveniens tantum.* — Potuit siquidem Deus, absque detrimento justitiae, offensam in se commissam sine satisfactione gratuito condonare, sola interna poenitentia contentus; potuit etiam aliqualem satisfactionem exigere aut a singulis hominibus, aut ab uno aliquo, quem ceterorum vadem constituisset. Unde S. AUGUSTINUS: „Sunt autem stulti qui dicunt: non poterat aliter sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem et nasceretur de femina et a peccatoribus omnia illa pateretur. Quibus dicimus: poterat utique"[2]. — Convenientiam incarnationis infra[3] aperiemus.

6 3. *Supposita voluntate Dei reparandi hominem per viam condignae satisfactionis, incarnatio erat necessaria.* — Est sententia communior contra scotistas. Absolute dicendum

[1] *De gratia*, proleg. IV, C. 9. n° 12. — [2] *De agone christ.* c. 11, n°. 12. [3] *Cfr.* n° 134—138.

videtur, nullam puram creaturam, quantumvis innocens et sancta supponatur[1], sufficere potuisse ad satisfactionem condignam, i. e. ad obsequium tanti valoris, ut offensam Deo illatam secundum æqualitatem compensaret. Quum enim gravitas injuriae personalis mensuretur ex dignitate personae offensae, valor autem obsequii ex dignitate personae honorantis, nullus honor, a persona dignitatis finitae exhibitus[2], aequare potest offensam Deo, qui dignitatis infinitae est, illatam. Sequitur solam divinam personam, quae infinite digna est, carne assumpta, potuisse condignam satisfactionem offerre[3]. Hinc S. AUGUSTINUS: „Neque per ipsum liberaremur hominem Jesum Christum, nisi esset et Deus"[4]; S. LEO M.: „Nisi [Christus] esset Deus verus, non afferret remedium"[5].

Vix opus est observare, rationem allatam minime probare necessitatem *passionis et mortis* Verbi incarnati.

Quaeritur 1. *De motivo determinante incarnationis*[6]. — 7
Quaerunt theologi, num vi praesentis decreti incarnatio locum habuisset, si homo non peccasset? Dicimus: „vi praesentis decreti", nihil enim aliud quaeritur quam *motivum decreti de facto exsistentis*. Nam si roges, num Deus, si hominem non peccaturum praevidisset, aliud forsan decretum de assumenda carne condidisset, omnimodam ignorantiam fateamur necesse est, deficiente revelatione.

Igitur ad quaestionem praemissam duplex datur responsio probabilis.

Affirmant Scotistae, dicentes rationem, propter quam

[1] Manifestum est, nullam creaturam *peccato infectam* condignam satisfactionem operari potuisse; atqui post Adae lapsum omnis homo, naturali generatione ortus, lege peccati tenebatur; ergo propter hanc solam rationem extra dubium est, *nullum hominem naturali modo ex Adam progenitum* ad satisfactionem aequivalentem aptum fuisse. — [2] Cfr n° 177. b. — [3] Cfr. S. Thom. S. Th. III, 1, 2 ad. 2. — [4] *Enchir.* C. 28, n° 108. — [5] *Serm. I de Nativ. Dom.* 2. — [6] *Rev. Thom.* 1913, p. 276; P. Chrysostome, *Le motif de l' Incarnation et les principaux Thomistes contemporains.* 1921.

Verbum incarnari voluit, esse ostensionem divinae bonitatis in tam magnifica creationis completione, absque respectu ad lapsum Adae; redemptionem vero fuisse rationem, quare Verbum carnem *passibilem* induere decrevit. Ita ante Scotum opinati sunt Alexander Halensis et b. Albertus Magnus, postea vero s. Franciscus de Sales et, quoad rei substantiam saltem, Suarez.

Negant Thomistae cum sententia communiori, docentes motivum incarnationis esse manifestationem divinae bonitatis praecise in redimendo humanum genus. Ratio: de motivo incarnationis, quum ex sola revelatione innotescere queat, ex solis fontibus revelationis judicandum est. Atqui Scriptura quoties de motivo incarnationis loquitur, toties mentionem facit redemptionis[1]. Idem motivum assignare solent Patres, e quibus plures exclusivas formulas adhibent. Hinc Symbolum: „qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis"[2].

8 **Quaeritur 2.** *Quare Christus redemptor non nisi multa saecula post lapsum advenerit*[3]. — Docet s. Paulus, Deum filium suum misisse „ubi venit plenitudo temporis"[4], i. e. ubi impleta fuit mensura dilationis ab ipso libere statuta. Moram hanc sapienter fuisse decretam dubitare non licet,

[1] V.g. *Mt.* **18**, 11; *Luc.* **19**, 10; *I Tim.* **1**, 15. — [2] Cfr. *S. Th.* III, **1**, 3. — [3] Cfr. *S. Th.* III, **1**, 5 et 6; Heinrich, *Dogm. Theol.* VII, § 330 seq. — [4] *Gal.* **4**, 4. — Scriptura saepius dicit, Christum venisse in *novissimo tempore* (*I Petr.* **1**, 20), *novissimis diebus* (*Act.* **2**, 17), in *consummatione saeculorum* (*Hebr.* **9**, 26; cfr. *I Cor.* **10**, 11), cet. His autem nominibus designatur non praecise tempus, quo Christus in terris conversatus est, sed tota epocha, quae a nativitate Domini incepit et perdurat usque ad secundum ejus adventum: epocha christiana; quae vocatur *novissima*, quia alia ei non succedet, et *consummatio saeculorum*, seu epocha consummationis, quia aliae mundi epochae eam praeparaverunt, necnon quia in ea impletur quidquid de Messia ejusque regno in terris antea praefiguratum aut praedictum erat. Ceterum aliis in locis *tempus novissimum*, *dies novissimus*, cet. solum finem regni messiani significat. Cfr. *Tract de Vera Religione*. Ed. 4ª, n⁰ 186.

fatendum tamen est, causas ejus nos maxima parte latere; hinc S. CHRYSOSTOMUS: „Si quaesieris, qua ratione nunc apparuit, periculosam rem facis, mysteria Dei curiose examinans et rationem illorum exigens" [1]. Nihilominus ipsi ss. Patres quasdam dilationis rationes indicarunt.

Moram diuturnam postulabat: **a.** *justitia Dei:* S. BONAVENTURA: „In hoc manifestatur divinae ultionis severitas, quae tantos clamores et luctus hominum tanto tempore sustinuit, antequam vellet descendere. Et ipse Adam cum posteritate sua tanto tempore exspectavit in limbo, exsulans a paradiso; et hoc propter manifestationem divinae justitiae, qua nihil inultum dimittit" [2]. — **b.** *Dignitas Redemptoris:* S. AUGUSTINUS: „Per multam seriem temporum et annorum praedicendus fuit; non enim aliquid parvum venturum fuit. Quanto major judex veniebat, tanto praeconum longior series praecedebat" [3]. — **c.** Ipsa *conditio hominis.* Conveniens siquidem erat, hominem, qui superbia ceciderat, ignorantiam et infirmitatem suam diu alteque experiri, ut humiliatus gratiam Redemptoris libentius susciperet et majoris aestimaret. S. THOMAS: „Eo modo erat homo liberandus, ut humiliatus recognosceret, se liberatore indigere. Reliquit enim Deus hominem, ut sic vires naturae suae cognosceret, ut, cognita sua infirmitate, clamaret ad medicum et gratiae quaereret auxilium" [4].

Ceterum praetereundum non est, etiam ante adventum Christi in carne, gratiam ejus per quamdam anticipationem hominibus datam fuisse; privatim quidem et parcius quam postea, sed tamen ita, ut etiam tunc nemo absque propria culpa auxiliis necessariis caruerit. S. LEO: „Gratia enim Dei, qua semper est universitas justificata sanctorum, aucta est Christo nascente, non coepta" [5]. Regnum Dei publice et respectu generis humani non nisi tempore Christi restitutum

[1] *In Ep. ad Rom.* hom. **27**, n⁰. 1. — [2] *In III Sent.* d. 1, a. 2, q. 4, conclus. — [3] *Tract. in Jo.* **31**, 5. — [4] *S. Th. III*, **1**, 5. — [5] *Serm. 3 in Nativ. Dom. 4.*

est; privatim vero ejus aditus singulis personis semper patuit.

9 **Divisio tractatus.** Tractatus de Deo Redemptore proprie in duas *sectiones* recidit; *prior* agit de ipso mysterio incarnationis, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo, de persona Redemptoris: **Christologia;** *altera* est de opere redemptionis, i. e. de iis quae Verbum incarnatum fecit ad redimendum genus humanum: **Soteriologia.** His tamen subjungemus sectionem *tertiam*, in qua dicetur de ea, quae arctissimo et indissolubili vinculo cum Christo conjucta fuit, n. p. de b. Virgine Maria: **Mariologia.**

SECTIO I

Christologia

SIVE

De mysterio incarnationis [1]

10 Incarnatio (*σαρκώσις*) est unio Verbi cum carne, seu potius cum natura humana. Nomen desumptum est ex textu: „Et Verbum caro factum est", ubi per synecdochen Scripturis familiarem *caro* pro *homine* ponitur. Definiri autem potest: *naturae humanae cum natura divina in una persona Verbi conjunctio.*

Doctrinam catholicam de incarnatione, una cum *erroribus* in hac materia saeculorum decursu exortis, clarissime expositam invenies in Decreto Eugenii IV pro Jacobitis [2].

Disputandum erit in *Cap. I* de ipsa unione Verbi incarnati, in *Cap. II* de consectariis hujus unionis, in *Cap. III* de excellentiis et infirmitatibus humanitatis assumptae. Subjungemus *epilogum* de convenientia incarnationis.

[1] E. Hugon, *Le Mystère de l'Incarnation*. Ed. 2ª. Paris, 1921. — [2] Denz. nº. 708.

CAPUT I

De ipsa unione Verbi incarnati

Tota de incarnatione doctrina catholica huc redit: Jesus 11
Nazarenus est *verus Deus* et *verus homo, una persona in duabus naturis*. Et habes breviter assignatum tum utrumque unionis extremum, tum ipsius unionis indolem. Quam doctrinam per partes evolvendo, dicemus 1^0 de Christi divinitate, 2^0 de ejus humanitate, 3^0 de modo, quo divina atque humana natura in illo unitae sunt, seu de unione hypostatica.

Art. I

DE CHRISTI DIVINITATE [1]

Divinitatem Christi negarunt saec. I Ebionitae et Ce- 12
rinthiani, saec. IV Ariani et quicumque consubstantialitatem Verbi impugnarunt, saec. XVI Sociniani; qui tamen omnes eum legatum divinum habuere. Nostris temporibus praeter rationalistas, plurimi ex protestantibus, sin minus apertis verbis, re saltem tum divinitatem, tum divinam legationem Christi omnino pernegant, nihil aliud in Domino nostro agnoscentes quam merum hominem, sapientia ac virtutibus insignem. Alii asserere non verentur, Jesum seipsum Messiam exhibentem, mentis elatione deceptum fuisse[2]; cum quibus tamen hoc loco non agimus.

[1] Cfr. M. Lepin, *Jésus Messie et Fils de Dieu d'après les Évangiles synoptiques*. Omnino legi meretur *Dict. Apol.* art. „Jésus-Christ", fasc. XI; H. Merkelbach, *Jesus Fils de Dieu et ses récents contradicteurs*, Liége, 1914; H. Felder, *Jesus Christus, Apologie seiner Messianität u. Gottheit gegenüber der neuesten ungläubigen Jesus-Forschung*, 2 Bdn., Paderborn, 1911, maxime Bdn, I, SS. 291—501; H Lesêtre, *La preuve de la divinité de Jésus-Christ dans l'Évangile*, in *Rev. prat. d'apol.*, XVIII, 1914, pp. 285—294; G. Lahousse, *Apologie de la Divinité de Jésus-Christ*. 2 Tom. Anvers. 1923. — [2] Ita v. g. O. Holtzmann a. 1903 libellum conscripsit ad probandum, quod Jesus fuerit „ein ekstatischer Schwärmer". — De persona Christi historica jam egimus in tract. *De Vera Rel.* n^0 75 sqq.

13 PROP. **Jesus Nazarenus est verus Deus, secunda persona ss. Trinitatis.**

Duo asseruntur: Jesum esse **a.** Deum in sensu vero ac proprio, et **b.** secundam ss. Trinitatis personam: Verbum seu Filium. Ad vitandas tamen inutiles repetitiones, unam teximus demonstrationem, quae licet principaliter Christi divinitatem spectabit, simul ostendet ejus filiationem. — Supponimus utique doctrinam de mysterio Trinitatis jam explicatam, unde difficultatibus petitis ex unitate Dei et ex distinctione, quam ipse Jesus inter se et Patrem admittit, in praesenti non attendimus. Ceterum majoris utilitatis gratia apologetice potius quam dogmatice procedimus, s. Scripturam adhibendo non ut verbum Dei, sed ut libros historica fide dignos.

Probatio. — Argumentum princeps est testimonium Christi de seipso; argumentum secundum et confirmativum fides apostolorum et ecclesiae antiquissimae. His uberius expositis brevissime adjungemus argumentum ex prophetiis messianis.

14 I. Argumentum ex **testimonio Christi.** — Rationalistae, quatenus synopticis saltem evangeliis omnem fidem non abnuunt, concedunt, Jesum seipsum aliquando dixisse et ab aliis saepius vocatum esse „filium Dei" [1]; addunt illum pleniori quodam sensu quam alios sanctos aut prophetas „filium Dei" audivisse; sed simul asserunt, nomen illud nullatenus importare veram deitam, *naturae* divinae participationem [2]. „Filius Dei", aiunt, erat titulus messianus.

---

[1] *Mt.* **14,** 33; **16,** 16; **26,** 63—64; **27,** 40; *Mc.* **1,** 11; **9.** 6; *Luc.* **1,** 32, 35; **4,** 3, 41; *Jo.* **3,** 16—18. — [2] A. Harnack, *Das Wesen des Christentums,* 4e Aufl., Leipzig, 1901, S. 91: „Nicht der Sohn, sondern allein der Vater gehört in das Evangelium, wie es Jesus verkündigt hat, hinein". S. 92: „Der Satz: „Ich bin der Sohn Gottes", ist von Jesu selbst nicht in sein Evangelium eingerückt worden, und wer ihn als einen Satz neben anderen dort einstellt, fügt dem Evangelium etwas hinzu." Loisy: „L'on trouverait sans peine dans les Évangiles plus d'un passage, d'où il résulte que le titre de Fils de Dieu était pour

desumptus ex V. T., praesertim ex Psalmis [1], quo significabatur, Messiam esse objectum specialissimae providentiae, ipsum scientia et potentia divinitus acceptis singulariter eminere, nihil ultra. — Jam etsi gratis asseritur, nomen „filius Dei" fuisse apud Judaeos titulum usitatum ac veluti vulgarem ad Messiam designandum, difficilius probaretur, *omnes*, qui Dominum nostrum hoc nomine appellarunt, divinam ejus naturam significasse. Unum contendimus, verba *ipsius Christi*, inter se collata et rite expensa, de sola filiatione adoptiva, utut perfectissima, intellegi non posse, sed omnino importare veram ejus divinitatem [2]. — Argumentum huc redit. Jesus Nazarenus multis modis, nunc obscurius nunc disertius, affirmavit se esse Deum et filium Dei, non latiori quodam sensu, sed vere et proprie. Atqui in hoc testando Jesus neque ipse deceptus fuit, neque alios decipere voluit; praeterea multis argumentis divinam suam legationem probavit. Ergo. — Minor constat ex tract. *De vera Relig* [3]. Major probatur.

---

es Juifs, pour les disciples et pour le Saveur lui-même, l'équivalent de messie . . . . En tant que le titre de Fils de Dieu appartient exclusivement au Sauveur, il équivaut à celui de Messie, et il se fonde sur la qualité de Messie. Jésus se dit Fils unique de Dieu dans la mesurue où il s'avoue Messie". *(L'Évangile et l'Église,* p. 42, 57), cfr. Lepin, o.c. p.p. 280 ss.; J. Beszmer, S. J., *Theol. und Phil. des Modernismus*, Herder, 1912, s.s. 313 ff. — Decr. *Lamentabili*, 27: „Divinitas Jesu Christi ex Evangeliis non probatur: sed est dogma, quod conscientia christiana e notione Messae deduxit" (Denz. no. 2027). Loisy: „La divinité du Christ est un dogme qui a grandi dans la conscience chrétienne, mais qui n'avait pas été expressément formulé dans l'Évangile; il existait seulement en germe dans la notion du Messie fils de Dieu". (*Autour* p. 171), cfr. Lepin, l.c., Beszmer, o.c. s. 305 ff., Lepin, *Les Théories de M. Loisy*, Paris, 4e éd., 1910, pp. 304 ss., et *Christologie*, Paris, 1908, pp. 26 ss. — [1] *II. Reg.* 7, 14; *Ps.* 2, 7; 88, 27—28. — [2] In decreto *Lamentabili* damnatur prop. (30): „In *omnibus* textibus evangelicis nomen Filius Dei aequivalet tantum nomini Messias, minime vero significat, Christum esse verum et naturalem Dei filium". — [3] N⁰. 80 seq.

15 1. Ex iis, quae Christus docuit de *coelesti sua origine et praeexsistentia* ante nativitatem terrenam.

„Descendi de coelo .... ego sum panis vivus, qui de coelo descendi" [1]. — „Vos de deorsum estis, ego de supernis sum"[2]. — „Ego ex Deo processi *[ἐκ τοῦ θεοῦ ἐξῆλθον]* et veni"[3]. — „Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem"[4]. — „Nemo ascendit *[ἀναβέβηκεν]* in coelum nisi qui descendit de coelo, filius hominis, qui est in coelo"[5]. — „Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum"[6]. — „Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te" [7].

16 2. Ex iis, qua Christus docuit de *sua habitudine ad Patrem et Spiritum Sanctum.*

„Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret; .... qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei" [8]. — „Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare" [9]. — „Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum .... Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est? ... Pater in me manens ipse facit opera" [10]. — „Ego et Pater unum sumus" [11]. — „Cum autem venerit paraclitus, quem ego mitto vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit" [12]. — „Ille (Spiritus veritatis) me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quae habet Pater mea sunt; propterea dixi: quia de meo accipiet" [13]. — „Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" [14].

17 3. Ex iis, quibus Christus *sibi opera divina* attribuit.

---

[1] *Jo.* **6**, 38, 51, cfr. 41—42. — [2] *Jo.* **8**, 23. — [3] *Jo.* **8**, 42. — [4] *Jo.* **16**, 28. — [5] *Jo.* **3**, 13. — [6] *Jo.* **8**, 58. — [7] *Jo.* **17**, 5. — [8] *Jo.* **3**, 16—18, cfr. *Mt.* **21**, 33 seq. *Mc.* **12**, 1; *Luc.* **20**, 9. — [9] *Mt.* **11**, 27; cfr. *Jo.* **6** 46. — [10] *Jo.* **14**, 9—10. — [11] *Jo.* **10**, 30. — [12] *Jo.* **15**, 26. — [13] *Jo.* **16**, 14—15. — [14] *Mt.* **28**, 19.

„Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit" [1]. — „Quodcumque petieritis [Patrem] in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam" [2]. — „Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat . . . . Sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso" [3]. — „Ego resuscitabo eum in novissimo die" [4]. — Pater „omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem" [5]. — „Si quis diligit me . . . . Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus" [6]. — „Ego vitam aeternam do eis" [7]. — „Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra . . . ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi" [8]. — Accedit modus, quo Christus miracula faciebat; saepius enim significavit se suo nomine, sua voluntate et potentia ea patrare [9].

Qui haec omnia in contextu meditaverit, comperiet, Christum, etsi prudenti dispensatione usus sit, ne aut auditores a se averteret, aut monotheismum Judaeorum laederet [10], veram

[1] *Jo*, **5**, 19. — [2] *Jo*. **14**, 13—14. — [3] *Jo*. **5**, 21, 26. — [4] *Jo*. **6**, 44. — [5] *Jo*. **5**, 22—23. — [6] *Jo*. **14**, 23. — [7] *Jo*. **10**, 28. — [8] *Mt*. **28**, 19—20. — [9] Cfr. v. g. *Mt*. **8**, 1—3, 7; **9**, 28; *Luc*. **8**, 46; *Jo*. **10**, 18 — [10] De prudenti illa dispensatione, qua Jesus in docenda sua divinitate utebatur, optime scribit v. Dunin-Borkowski (in *Der Katholik*, 1903, I, p. 303): „Wenn man sich auch nur die wesentlichsten Charakterzüge Jesu vergegenwärtigt, müsste man apriori mit voller Sicherheit schliessen, dass er, falls er sich selbst für Gott hielt, nur äusserst vorsichtig und fürs gewöhnliche nur verdeckt diese Ansicht aussprechen werde Gegenüber dem monarchianischen Monotheismus der glaubensstarken, überzeugten frommen Juden musste der Anspruch eines Menschen auf Gotteswürde zunächst blasphemisch und ungeheuerlich erscheinen. Wollte also irgend jemand die Tatsache seines Selbstbewusstseins, dass er Gott sei, vor den Juden aussprechen, um sie für diesen Glauben zu gewinnen, so war bei einem allmählichen klugen Vorangehen vorauszusehen, dass er, selbst in Begleitung staunenerregender Machttaten, seine Aussagen nur mit Zurückhaltung, in

divinitatem suam reapse docuisse, secundum illud evangelistae: „Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo"[1] Unde etiam Judaei quodam die eum lapidare voluerunt: „quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum"[2].

18 II. Argumentum ex **fide apostolorum et ecclesiae antiquissimae.** — Quid Christus de seipso docuerit, quo sensu se filium Dei affirmaverit, tuto colligere possumus ex testimonio primorum christianorum, imprimis apostolorum, quos ipse Christus testes ac legatos suos instituit.

1. *S. Petrus* de filio hominis confitetur: „Tu es Christus, filius Dei vivi"[3]; Christo omniscientiam attribuit: „Domine, tu omnia nosti"[4]; eum „auctorem vitae" et „omnium dominum" praedicat[5]; declarat „spiritum Christi" illuminasse prophetas V.T.[6]; denique Jesum „Deum ac dominum" proclamat[7].

2. *S. Thomas* Christum redivivum alloquendo „dixit ei: dominus meus et Deus meus"[8].

---

einer möglichst milden Form vorbringen werde, sonst liefe er Gefahr, entweder den Monotheismus überhaupt zu gefährden, oder aber sein eigenes Verderben heraufzubeschwören. Wenn wir also in den Selbstzeugnissen Jesu eine ausnehmende Vorsicht, die äusserste Zurückhaltung, eine hie und da bis zur Dunkelheit gehende Kürze finden, so ist das gewiss kein Beweis für Unentschlossenheit, Unklarheit in seinem Selbstbewusstsein. Höchster Mangel an Kritik und psychologischem Verständnis verriete es, wollte man daraus den Schluss ziehen, Jesus habe überhaupt an eine Gleichstellung mit dem Vater nicht gedacht". Diu antea Petrus Venerabilis: „Confessus est plane se Deum, sed ita ut et scandalum infirmorum nondum tam sublimia capientium vitaret, nec intellegere volentibus, quod Deus esset, celaret." *Ep ad Petrum de Jac., Migne,* P. L. **189**, p. 492.

[1] *Jo.* **5**, 18. — [2] *Jo.* **10**, 33. — [3] *Mt.* **16**, 16; lege v. Kasteren in *Studiën*, t. 62, p. 344; cfr. *Jo.* **6**, 70; *Act.* **3**, 26. — [4] *Jo.* **21**, 17. — [5] *Act.* **3**, 15, **10**, 36. — [6] *I Petr.* **1**, 11. — [7] *II Petr.* **1**, 1, 11: „*Ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ θεοῦ ἡμῶν καί σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ . . . Εἰσοδος εἰς τὴν αἰώνιον βασιλείαν τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ σωτηρος Ἰησοῦ Χριστοῦ.* — [8] *Jo.* **20**, 28. — Frustra rationalistae, Theodorum mopsuestenum sequentes. (Denz. no. 224) contendunt, Thomam non Jesum allocu-

3. *S. Jacobus* seipsum declarat „*Θεοῦ καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ*" servum"[1]; Christum vocat „dominum gloriae"[2].

4. *S. Paulus* Christum vocat „dominum" in sensu ab- **19**
soluto[3], „proprium filium Dei"[4], „magnum Deum et salvatorem"[5], in quo „inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter"[6]; qui antea „in forma Dei" exsistens, „non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens"[7]. Praeterea idem apostolus Christo attribuit creationem et conservationem omnium rerum[8], eumque „super omnia Deum benedictum" appellat[9]. Denique exordium *Ep. ad. Hebr.* divinitatem Christi ex professo adstruit[10].

5. *S. Joannes* ab omnibus doctor divinitatis Christi habetur,

---

tum esse, sed prae admiratione exclamasse: „Deus meus!" quemadmodum nos dicere solemus: „Bone Deus!" Textus habet: „Dixit *ei*", et Christus laudat fidem Thomae: „quia vidisti me, Thoma, credidisti".

[1] *Jac* **1**, 1. — [2] *Jac.* **2**, 1: „Nolite in personarum acceptione habere fidem domini nostri J. C. gloriae". — [3] *Rom.* **10**, 9 seq.; *I Cor.* **12**, 3; *II Cor.* **4**, 5 cet. Cfr. *Rev. Bibl.* 1903, p. 345; Fr. Will. Lampen, *De Kyriostitel van den Zaligmaker*, in *N. K. Stemmen*, 1917 blz. 3—9; F. Prat, *La théol. de St. Paul*, II, p. 173, cfr. pp. 181 ss. — [4] *Rom.* **8**, 32. — [5] *Tit.* **2**, 13. — [6] *Colos.* **2**, 9. — [7] *Philip.* **2**, 6—7; cfr. *Rom.* **8**, 3; Cfr. H. Schumacher, *Christus in seiner Präexistenz und Kenose noch Phil. 2 : 5—8 Historische Untersuchung*. Romae. 1914. — [8] *Colos.* 1, 16—17: „Quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso *[δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν]* creata sunt. Et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant (cfr. *Der Kath.* 1918 I, p. 289 et II p 26 et 89). Cfr. *I Cor.* **8**, 6. — [9] *Rom.* **9**, 5: „Ex quibus (Israelitis) est Christus secundum carnem, *ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν*". — Sententia nonnullorum rationalistarum, qui contendunt verba graece laudata non referenda esse ad Christum, sed esse doxologiam, qua Paulus Deum glorificet pro beneficiis Israeli praestitis, tum ipso sermonis nexu, tum praesertim auctoritate Patrum excluditur. Cfr. Cornely, in h.l.; Durand, in *Rev. Bibl.* 1903, p. 550; Prat, l. c. p 181: „Cette phrase se rapporte si clairement au Christ, dont elle explique la transcendance et la nature divine, qu' elle n' a jamais été entendue autrement dans la tradition chrétienne." — [10] Lege *Hebr.* 1.

unde pauca de eo laudasse sufficiat: „In principio", ita exoritur evangelium suum, „erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum .... omnia per ipsum facta sunt .... Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis" [1]. Et postquam argumenta divinitatis Christi coacervavit, narrationem claudit his verbis: „Haec scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus, filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus" [2]. — Primam autem epistolam ita concludit: „Et scimus quoniam filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero filio ejus (Jesu Christo). Hic est verus Deus et vita aeterna" [3].

20 6. *Antiquissimi patres* eamdem fidem, ab apostolis acceptam, profitentur. *Didaché* (alludens ad *Mt.* **21**, 9: „Hosanna filio David") scribit: „Hosanna Deo David", quae verba teste Harnack fidem auctoris in divinitatem Christi exprimunt [4]. — *S. Clemens Rom.* dicit, Christum per Spiritum S. locutum esse in Scriptura V. T. [5]; ipsum Patri et Spiritui Sancto aequiparat: „Vivat Deus et vivat dominus J. C. et Spiritus S., fides et spes electorum" [6]; et bis ei applicat doxologiam: „domini nostri Jesu Christi, cui gloria et magnificentia in saecula saeculorum, amen" [7]. — *S. Ignatius M.*: „Glorifico Jesum Christum Deum, qui tanta vos sapientia donavit" [8]. — Et: „Unus medicus est, carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, carne Deus exsistens, in

[1] *Jo.* **1**, 1, 14. — [2] *Jo.* **20**, 31. — [3] **1** *Jo.* **5**, 20; cfr. textum graec. — [4] *Dadaché*, **10**, 6. „Der Ausdruck enthält eine θεολογιά τοῦ Χριστοῦ, denn der Zusammenhang macht es sicher, dass dieser, der wiederkehrende, nicht Gott selbst (scil. Deus Pater) gemeint is" (Harnack, *Lehre d. 12 Apost.*). — [5] *Ep. ad. Corr.* **22**, 1. — [6] L. **c. 58**, 2. — [7] L. **c. 20**, 12; **50**, 7. — Frustra nonnulli contendunt, aut doxologias spurias esse, aut eas non ad Christum sed ad Deum (Patrem) referri; cfr. Dorsch, *Die Gottheit Jesu bei Clemens von Rom.*, in *Zeitschrift f. k. Theol.* 1902, p. 467 et 701. — [8] *Smyrn.* **1**. 1.

morte vita vera, ex Maria et ex Deo, primo passibilis postea impassibilis, Jesus Christus dominus noster" [1]. — *Auctor Ep. s. Barnabae:* „Dominus sustinuit pati pro anima nostra, cum sit totius mundi dominus, cui dixit Deus ante constitutionem mundi: faciamus hominem secundum imaginem et similitudinem nostram" [2]. — *S. Justinus M.:* „Haec eo diximus, quo filium Dei et apostolum esse Jesum Christum demonstraremus; qui quidem cum antea Verbum esset . . . nunc voluntate Patris pro humano genere homo factus [est] . . . Qui cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est" [3]. — Homilia, quae vocatur *Ep.* 2 *s. Clementis ad Cor.* (scripta videtur ante a. 150 p. C.) incipit: „Ita oportet nos sentire de Jesu Christo, tamquam de Deo, tamquam de judice vivorum et mortuorum".

7. Ipsi etiam *Gentiles et Judaei* doctrinam ecclesiae de 21
divinitate Christi cognoverunt. *Plinius Sec.* ad Trajanum: „Affirmabant autem [christiani apostatae] hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem" [4]. — *Hadrianus* imperator a. 117 scribit: multos ex Aegyptiis esse christianos, quod si quis ad eos veniat, „adorare cogitur Christum," quem Deum habent [5]. — *Celsus* christianis exprobat tristissimam mutationem, quam Deus homo factus subiisset [6]. — *Judaei*, teste s. Justino [7], christianis objiciebant, quod docebant, Christum ante saecula Deum exstitisse et in tempore natum esse. Christiani autem hanc objectionem non ut calumniam respuerunt, sed pro fide Christi-Dei tormenta et mortem libenter subierunt.

III. Argumentum ex **prophetiis Messianis.** — *Ora-* 22
cula V. T. si per se sola spectentur, divinitatem Christi

[1] *Ephes.* **7**, 2; cfr. *Rom.* **6**, 3. Legatur *Theol. u. Gl.* 1918, p. 163. — [2] *Ep. Barnab.* **5**, 5. — [3] *I Apol.* **63**, 10, 13. — [4] *Epp.* I. x, *Ep.* 97. — [5] *Ep. ad Servianum*, cfr. Pesch, *Prael.* IV, n° 24. — [6] Cfr. Origenes, *C. Celsum*, **4**, 14; **7**, 13. — [7] *Dial. c. Tryph.* **48**.

obscurius tantum continent, at si considerentur in luce revelationis christianae, indubium est, in iis promitti Messiam, qui sit verus Deus. Locos praecipuos indicamus.

„Dominus dixit ad me, ego hodie genui te"[1]. — „Sedes tua Deus in saeculum saeculi; unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae"[2]. — „Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis .... Ex utero ante luciferum genui te"[3]. — „Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel" [4]. — „Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi (= aeternitatis), princeps pacis" [5]. — „Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis"[6]. — „Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum dominator (הָאָדוֹן), quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis"[7].

23 His annumeranda sunt *effata N. T.* quibus Messias-Deus de propinquo indicatur. Angelus *Gabriel*: „Hic erit magnus et filius altissimi vocabitur ... et regni ejus non erit finis ... Spiritus S. superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei" [8]. — *Zacharias* repletus Spiritu S. de filio suo prophetat: „Et tu, puer, propheta altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem domini parare vias ejus" [9]. — *Elisabeth* Spiritu S. repleta exclamat: „Unde hoc mihi, ut veniat mater domini mei ad me!" [10]. — *Joannes Bapt.:* „Ipse est, qui

[1] *Ps.* 2, 7, cfr. *Hebr.* 1, 5. — [2] *Ps.* 44, 7–8; *Hebr.* 1, 8—9. — [3] *Ps.* 109, 1, 3; cfr. *Mt.* 22, 42. — Lectio v. 3. „Ex utero", cet., etsi a textu masoretico recedat, omnino retinenda est, cfr. Kaulen in *Der Katholik*, 1865, II, p. 129 et Peters in *Theol. Quartals.* (Tübingen) 1898, p. 615. — [4] *Is.* 7, 14; cfr. *Mt.* 1, 23. — [5] *Is.* 9, 6. — [6] *Mich.* 5, 2; cfr. *Mt.* 2, 6. — [7] *Mal.* 3, 1. — [8] *Luc.* 1, 32, 35. — [9] *Luc.* 1, 76. — [10] *Luc.* 1, 43.

post me venturus est, qui ante me factus est"; et mox viso Jesu: „Hic est, de quo dixi: post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat .... Et testimonium perhibui, quia hic est filius Dei"[1]. — Sane, qui cognito testimonio ipsius Jesu, haec verba Spiritu S. instigante prolata legerit, de vero eorum sensu dubius esse non poterit.

Objectio. Critici rationalistae contendunt, doctrinam de 24
Christi divinitate non inveniri in evangeliis synopticis, quae ope primitivarum catechesium conscripta sunt. Hinc inferunt, primos christianos dogma illud non cognovisse. S. Paulus doctrinam nostram praedicare coepit, auctor vero quarti evangelii (qui non est s. Joannes apostolus, sed alius quidam Joannes „presbyter") eam uberius evolvit ope praesertim sermonum Christo subjectorum; nam Christus, quem quartum evangelium exhibet et loquentem inducit, non est „Christus historiae" sed „Christus fidei" [2].

Resp. — Quaestionem de auctore et valore historico 25
quarti evangelii *Introductioni in s. Scripturam* relinquere debemus [3]; ceterum objectio solvi potest praecisione facta a scriptis Joanneis.

a. Gratis et improbabiliter critici asserunt, s. Paulum, divinitatem Christi praedicando, novam doctrinam protulisse. Doctrina nova controversias excitasset; atqui nullibi apparet Paulo ratione suae christologiae contradictum fuisse, quemadmodum v. g. factum est in materia de legalibus, Praeterea

---

[1] *Jo.* 1, 27, 30, 34. — [2] Objectio quoad substantiam jam prolata est a Juliano apostata, cujus verba refert s. Cyrillus Alex.: „Jesum neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Matthaeus, neque Lucas neque Marcus; sed bonus ille Joannes, cum sensisset magnam multitudinem in plerisque urbibus graecis et italicis jam tum eo morbo captum esse, ... primus id prodere ausus est" (*C. Julian.* I. 10, initio). — [3] Cfr. Decr. Lamentabili, prop. 16—18, et Decretum *Commissionis biblicae* de auctore quarti Evangelii a. 1907.

Paulus doctrinam nostram ut rem notam profert etiam in ep. ad Romanos, quos ipse non erudierat.

26 b. Verum est synopticos dogma nostrum minus aperte proponere quam scripta Paulina et Joannea; nihilominus certum est, evangelia synoptica divinitatem Christi omnino supponere et saltem implicite continere; certum est, Christum, quem synoptici exhibent, non esse merum hominem, sed hominem-deum. Mitto quod Jesus saepe vocatur filius Dei [1], et quod synoptici ei applicant prophetias, divinitatem Messiae involventes [2]. Apud synopticos Christus exigit cultum, qui mero homini convenire nequit [3]; sibi tribuit scientiam divinam [4], potentiam divinam [5], auctoritatem divinam [6], judiciariam potestatem [7]; seipsum ut filium unicum, cujus est hereditas, prophetis opponit [8]; insinuat se non tantum esse filium David, sed etiam dominum seu Deum illius [9]; denique seipsum Patri et Spiritui S. aequiparat [10].

Aliunde, ex ipsorum criticorum sententia, epistolae Paulinae, dogma nostrum attestantes [11], antiquiores sunt synopticis evangeliis. Igitur quando synoptici prodierunt, ecclesiae divinitatem Jesu jam credebant. Quaero itaque: numquid evangelia synoptica sine ulla controversia ab ecclesiis recepta fuissent, si divinitatem Christi revera excluderent aut saltem ignorarent? Praeterea de uno saltem ex synopticis, n. p. de Luca, discipulo et comite Pauli, critici agnoscere debent, quod Jesum verum Deum habuerit, Matthaeus vero et Marcus

[1] E. g. *Luc.* **1**, 32, 35; *Mt.* **3**, 17; **17**, 5; *Mc.* **9**, 6; *Luc.* **3**, 22; **9**, 35; *Mt.* **16**, 16. — [2] *Mt.* **1**, 23; **2**, 6; *Mc.* **1**, 2; *Luc.* **7**, 27. — [3] *Mt.* **10**, 37; *Luc.* **14**, 26. — [4] *Mt.* **11**, 27; *Luc.* **10**, 22; *Mt.* **12**, 25; *Luc.* **9**, 47; **11**, 17. — [5] *Mc.* **2**, 5—10; *Mt.* **28**, 19—20; *Luc.* **9**, 1; **10**, 19; **21**, 15. — [6] *Mt.* **5**, 22, 28, 32, 34, 44; **12**, 6; **16**, 19; **18**, 18. — [7] *Mt.* **25**, 31 seq.; **26**, 64; *Mc.* 8, 38; **13**, 27. — [8] *Mt.* **12**, 33 seq.; *Mc.* **12**, 1 seq.; *Luc.* **20**, 9 seq. — [9] *Mt.* **22**, 41 seq.; *Mc.* **12**, 35 seq.; *Luc.* **20**, 41 seq. — [10] *Mt.* **28**, 19. Qui plura desiderat, legat *Der Katholik*, 1903, I. p. 395 seq. *Theol. prakt. Quarts.* (Linz) 1913, p. 50, 282, 561, 764; 1914, p. 100, 340, 634, 825; H. Schuhmacher, *Die Selbstoffenbarung Jesu bei Mt. XI 27 (Lk. X 22).* 1912, Freiburg. — [11] Scil. *Epp. ad Rom.*; *I ad Cor.*; *ad Coloss. ad Philipp.*

non magis obscure de persona Domini locuti sunt, quam Lucas. — Ceterum critici, moderatiores saltem, non tam de ipsis evangeliis nostris, quam de illorum fontibus statuunt, eos dogmate catholico antiquiores esse.

c. Adversarii siquidem ponunt, synopticos ideo de di- 27
gnitate Salvatoris parcius et obscurius esse locutos, quia in suo opere primitivas catecheses sequebantur. Esto! Perperam tamen inferunt, illas catecheses sua sobrietate et simplicitate loquendi arguere epocham, divinitatem Christi adhuc ignorantem. Sane si fides divinitatis Jesu ipsos evangelistas non adegit, ut de persona magistri distinctius et explicitius loquerentur, quare eadem simplicitas et obscuritas in fontibus ignorantiam dogmatis nostri argueret? Quodsi nonnulli autumant, textus, qui apud synopticos divinitati Salvatoris favent, ex doctrina Paulina desumptos et antiquis fontibus ab ipsis evangelistis superadditos esse, gratis supponunt, quod probare deberent, np. fontes, seu catecheses primitivas a divinitate Christi plane alienas fuisse.

Art. II
DE CHRISTI HUMANITATE

A saec. I plures haeretici, qui *Docetae* (*δοκεῖν*) seu *Phanta-* 28
siastae appellantur (Cerdon, Marcion, deinde Manichaei) docuerunt, Christum corpus apparens seu simulatum tantum habuisse. Saec. II Apelles et Valentinus, verum aliquod corpus admittentes, dixerunt, illud non fuisse corpus humanum, sed aëreum aut de coelo allatum, neque ex substantia b. Mariae formatum, ita ut Christus per uterum Virginis transiisset tantum, nihil ex ea accipiendo; quam doctrinam restauravit saec. IV Priscilliánus, saec. XVI Menno Simons, Anabaptistarum in patria nostra caput. — Saec. IV Ariani somniabant, corpus Christi non fuisse informatum anima, sed ipsum Verbum, cui tamen divinitatem abjudicabant, vices animae supplevisse. Demum eodem saec. IV Appollinaristae,

trichotomiam profitendo, mentem, seu rationalem animam a Christo excludebant, solum animam sensitivam admittentes.

Contra hos omnes tenenda est veritas et integritas humanae naturae, quam Dei Filius ex nostro genere assumpsit, et per quam nobis consubstantialis factus est.

29 PROP. **Christus est 1⁰ verus homo; habet igitur 2⁰ verum corpus humanum, idque 3⁰ ex b. Mariae substantia formatum, et 4⁰ animam rationalem.**

Prop. secundum omnes suas partes est *fidei dogma* ex CONC. VIENNENSI profitente: „Unigenitum Dei filium... partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus ipse in se verus Deus exsistens fieret verus homo, humanum scil. corpus passibile, et animam intellectivam seu rationalem, ipsum corpus vere, per se et essentialiter informantem, assumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad unitatem suae hypostasis et personae"[1].

Propositionem per partes probabimus, brevissime tamen, quia recensitae haereses jam a nemine sustinentur.

30 *Probatur.* — Pars I: Christus est *verus homo.* — Ex *s. Scriptura*, ubi Christus saepe „homo" et „filius hominis" vocatur[2],

[1] Cfr. Denz. n⁰ 480; cfr. conc. chalced., o.c. n⁰ 148 et conc. florent., o.c. n⁰ 708. — [2] E. g. *Jo.* 8, 40; *I Cor.* 15, 21—22; *Mt.* 16, 13; *Luc.* 24, 7. — Nomen *Filius hominis* (aramaice probabilius בַּר אֱנָשָׁא) frequens in ore ipsius Domini, in ore aliorum vix occurrens, quum literaliter habentem naturam humanam significet, adhiberi nequivisset, si Christus verus homo non fuisset. Nihilominus Salvator nomen illud non usurpabat, ut se verum hominem affirmaret, sed ut insinuaret, se esse initiatorem regni aeterni apud Danielem promissi (*Dan.* 2, 44; 7, 13–14; cfr. *Mt.* 24, 30; 26, 63–65; *Luc.* 22, 66—70). Titulus igitur *Filius hominis* dignitatem messianam enuntiabat, minus aperte tamen, unde in animis Judaeorum non ita evocabat ideam regni politici. Et haec videtur esse ratio, quare Dominus, qui se coram populo *Messiam* (= Christum) dici nolebat (*Mt.* 16, 13—20; *Mc.* 8, 27—30; *Luc.* 9, 18—21.), illum titulum tam frequenter adhibuerit. Cfr. *Zeits f. k. Theol.* 1892, p. 567; Tillmann, *Der Menschensohn*, 1907. — Criticos,

et talia de eo praedicantur, quae vero homini tantum convenire possunt [1].

Pars II: Christus habet *humanum corpus, verum et reale.* — 1° Ex *s. Scriptura:* „Et Verbum caro factum est" [2]. — „Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere" [3]. — 2° Ex *ss. Patribus*, e. g. S. AUGUSTINUS: „Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus, et si fefellit veritas non est. Est autem veritas Christus" [4].

Pars III: Christus habet corpus *formatum ex substantia b. Virginis* [5]. — Ex *s. Scriptura:* „Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege" [6]. In quem locum S. BEDA: „Neque audiendi sunt, qui legendum putant: natum ex muliere, factum sub lege; quia conceptus ex utero virginali carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne, quia alioquin nec vere filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine" [7]. Praeterea Christus in Scriptura vocatur semen aut filius Abrahae et David [8], quod utique dici non posset, si nihil ex matre sua accepisset.

Pars IV: Christus habet *animam rationalem.* — 1° Ex **31**
s. Scriptura: „Pater, in manus tuas commendo spiritum (πνεῦμα) meum" [9]. Res insuper patet ex locis, ubi Christus

---

qui docuerunt nomen *Filius hominis* ex linguae aramaicae genio nihil aliud significare quam *homo* aut *ego*, ex principiis criticis refutavit G. Dalman, *Worte Jesu* (1898), I, p. 191. — [1] E. g. *Luc.* 7, 34; 23, 46; *Jo.* 4, 6; 11, 33—35. — [2] *Jo*, 1, 14. — [3] *Luc.* 24, 39; cfr. *I Jo.* 4, 2; *II Jo.* 1, 7. — [4] *Lib. 83 Quaest.* q. 14. — cfr. s. Ignatius M. *ad Trall.* 9—10. — [5] Non agimus hoc loco de *miraculosa* Christi conceptione ac nativitate ex *Virgine*, sed id solum adstruimus, carnem Christi ex carne matris, non aliunde, formatam esse. Quare decuerit, Christum carnem sumere ex stirpe Adae, nascique ex foemina, exponit s. Thomas, *S. Th.* III, 4, 6; 31, 4. — [6] *Gal.* 4, 4. — [7] *In Lucam*, I, IV, c. 49. — [8] *Mt.* 1, 1; 3; *Rom.* 1, 3; *Gal.* 3, 16. — [9] *Luc.* 23, 46

dicitur obedire, orare, gratias agere, tristari, cet. Haec enim, quum in ipsam divinitatem cadere nequeant, evidenter animam, eamque rationalem adstruunt. — 2° Ex *ss. Patribus*, e. g. S. CLEMENS ROM.: „In caritate assumpsit nos Dominus; sanguinem suum pro nobis tradidit Jesus Christus dominus noster in voluntate Dei, et carnem pro carne nostra, et animam pro animabus nostris" [1]. — Verum quidem est, antiquiores patres saepius meminisse carnis Christi, quam animae (quod ex modo loquendi Scripturae atque ex errore Docetarum facile explicatur), sed prorsus immerito quidam protestantes inde deduxerunt, illos patres in sententia Apollinaris fuisse [2].

32 *Objiciunt.* a. — Angeli aliquando in forma humana apparuerunt, quin veri homines essent; ergo etiam de Christo dubitari potest.

Resp. Nego paritatem; nusquam enim de angelo apparente talia narrantur, qualia de Christo perhibent evangelia, scil. eum nasci, circumcidi, per multos annos cum hominibus conversari, pati, mori, cet [3].

33 b. — Legitur, quod Verbum *„formam* servi" accepit, „in *similitudinem* hominum factus, et *habitu* inventus ut homo"[4]; ergo non erat verus homo.

Resp. Ex contextu „forma servi", quae „formae Dei" opponitur, est *natura* servi, scil. natura humana. Similitudo autem hominis et habitus hominis ideo dicuntur, quia Christus, licet verus Deus esset, nihil a ceteris hominibus specie externa discrepabat. — Ceterum verba immediate sequentia, ubi

[1] *Ep. 1 ad Cor.* **49**, 6. — [2] Cfr. Franzelin, *De Verbo incarnato*, Thes. 13. — Quo sensu intellegendi sint Patres, qui contra Apollinarem subinde dixerunt, Verbum carnem assumpsisse mediante anima et mente, vide s. Thom. *S. Th.* III, **6**, 1 et 2. Unum constat, secundum ordinem *temporis* „totam humanam naturam *simul* sibi Verbum Dei univit"(1. c., a. 1, c). — [3] Cfr. S. Thom. *S. c. G.* **4**, 29. — [4] *Philip.* **2**, 7.

Christus dicitur obediens factus et mortuus, ac propterea a Deo exaltatus, veram humanitatem evidenter exprimunt. — Quodsi Christus alibi dicatur missus „in similitudinem carnis peccati"[1], solum peccatum excluditur, non veritas carnis.

c. Verum corpus humanum videtur excludi per illud: **34**
„Primus homo de terra terrenus, secundus homo *de coelo coelestis*" [2].

Resp. Agitur de Christo glorificato, qui quantum ad corpus dicitur esse *coelestis*, ratione status gloriosi, *de coelo* vero ratione originis, „non quia ipsum corpus Christi secundum suam substantiam de coelo descenderit, sed quia virtute coelesti, i. e. Spiritu S., est ejus corpus formatum" [3].

Art. III

DE UNIONE DIVINITATIS ET HUMANITATIS IN CHRISTO

Vidimus Jesum Christum esse verum Deum et verum **35**
hominem, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem; quaeritur igitur qua ratione divinitas et humanitas in Christo unitae sint. Qua in re duo errores extremi cavendi sunt. Fuerunt siquidem, qui divinam et humanam naturam Christi *separabant*, utrique propriam subsistentiam et perseitatem tribuendo; qui proinde in Christo *duas personas* praedicabant; quod est haeresis *Nestorii*.

Fuerunt alii, qui, ne viderentur naturas separare, eas ne distinguebant quidem sed *confundebant*, docentes in Christo divinitatem atque humanitatem in *unam naturam* coaluisse; quod est haeresis *Eutychetis*, seu Monophysitarum.

Fides autem catholica est, ut in Christo agnoscamus *unam personam*, divinam scil. personam Verbi, habentem *duas naturas* inconfusas et immutatas. Duae autem naturae

[1] *Rom.* 8, 3. — [2] *I Cor.* 15, 47. — [3] S. Thom. *S. Th.* III, 5, 2, ad 1.

integrae, quae non sunt nisi una persona, evidenter unitae sunt *in persona* et *secundum personam*, *καθ' ὑπόστασιν* vel, quod idem est, *unione hypostatica* seu personali.

36 Unio Verbi incarnati vocabulum proprium sortita est, quia non solum supernaturalis sed etiam plane singularis est. Licet igitur cum nulla alia conjunctionis specie conveniat in omnibus, convenit tamen cum quibusdam in aliquo, et praecipue in nota negativa. Hinc ut indicetur non praecise quid sit, sed magis quid non sit, unio Verbi incarnati dicitur aliquando unio *physica*, quatenus scil. opponitur unioni morali, et unio *substantialis*, n. p. in oppositione ad unionem accidentalem.

Unio moralis ea est, qua plures personae conjunguntur affectu, officio, juribus, cet. ita ut, manendo plures physice, fiant una moraliter, quod v. g. contingit in conjugibus. Ut igitur significetur conjunctionem divinitatis et humanitatis in Christo *non esse moralem tantum*, vocari potest *physica*, quamvis ab omni unione physica, quam novimus, tam substantiali quam accidentali, longe distet.

37 Iterum unio accidentalis, seu externa, ea est, qua duae substantiae externo tantum vinculo copulantur, quemadmodum angelus unitur corpori assumpto aut artifex instrumento. Quum autem in Christo inveniantur duae substantiae intrinsece unitae, ideo ad *excludendam unionem accidentalem*, unio Verbi incarnati aliquando vocatur *substantialis*, quamvis in ea minime locum habeat, quod ceteroquin in omni unione substantiali accidit; ut scil. ex duabus substantiis vel naturis conjunctis una nova exsurgat, quemadmodum v. g. fit in unione animae cum corpore, aut hydrogenii cum oxygenio.

Nostrum erit de unione hypostatica ostendere, *quod sit*, probando in Christo esse unam personam et duas naturas inconfusas; deinde, in quantum licet, inquirere *quid sit*. Praemittimus tamen pauca de notionibus *naturae* et *personae*.

1. Essentia, seu substantia, seu *natura* [1] est *id, quo* 38
res in determinata specie constituitur, unde v. g. natura humana est id, quo unusquisque nostrum formaliter homo est. En naturam in abstracto, natura specifica, quae de pluribus praedicatur. Natura vero singularis (seu individua, seu concreta) est complexus totius realitatis, quo aliqua res constituitur individuum hujus speciei, v. g. quo Socrates est hic homo. Notio igitur naturae singularis praeter naturam, ut sic, involvit etiam principia individualia.

2. *Hypostasis* seu *suppositum* est natura substantialis, 39
singularis, completa, subsistens (i. e. habens actum exsistendi, qui naturis substantialibus convenit = actum exsistendi in se,) et incommunicabilis seu sui ipsius; quae, si intellectualis est, vocatur *persona* [2].

Personalitatis seu suppositalitatis tessera est *perfecta incommunicabilitas*, id enim personae aut suppositi nomine venit quod a nullo alio habetur aut haberi potest, sed est sui ipsius [3], ac per consequens ultimum attributionis centrum, de quo scil. omnia, quae ad ipsum pertinent: natura, exsistentia, proprietates, actiones ultimo praedicantur.

---

[1] *Essentia, natura, substantia* non realiter sed virtualiter tantum differunt; essentia enim in quantum consideratur ut principium operationum vocatur natura; in quantum vero in rebus, qua per se sunt, consideratur ut subjectum cui inhaerent accidentia, vocatur substantia. — [2] Quum in hoc tractatu de solis naturis intellectualibus agatur, nomina *suppositi, hypostasis* et *personae* promiscue adhibentur pro supposito naturae intellectualis. Etiam nomen *subsistentia*, si concrete sumitur, idem est ac persona. De voce *subsistentiae* abstracte sumptae, sciendum est quod saepe adhibetur ut synonymum personalitatis, nos autem ad vitandam confusionem, nomine *subsistentiae* in abstracto, non aliter utimur quam in sensu supra indicato, scil. pro exsistentia in se (et non in alio, tamquam subjecto), i. e. pro eo modo exsistendi, qui naturae substantiali debetur. Revera subsistere nihil aliud est quam: stare sub suo esse. — [3] Scil. *physice*, non moraliter. Moraliter puer est aliquid patris, et uxor viri sui; quod non impedit, quominus et puer et uxor sint personae, quum quantum ad esse physicum sint sui ipsius, non alterius.

40 3. Quodsi quaeres, undenam individuo essentiae substantialis [1] oriatur illa perfecta incommunicabilitas, in qua ratio personalitatis consistit, dicendum putamus, eam exsurgere ex duobus scil. ex *integritate naturae* et ex *propria subsistentia*, nam ubi simul habetur singularis natura substantialis integra (*id, quod* res est,) et proprius actus exsistendi tali naturae debitus: propria subsistentia (*id, quo res est)*, ibi necessario habetur ultima individui perfectio, seu personalitas. Contra ubi aut integritas aut propria subsistentia desideratur, ibi deficit etiam incommunicabilitas. Deficiente integritate naturae, sequitur *communicabilitas partis* ad totum; deficiente vero proprio actu subsistendi, sequitur *communicabilitas assumptibilis*, nam natura, quantumvis completa et integra cogitetur in linea naturae seu essentiae, *actualis* non est, nisi aut proprio actu exsistendi in se gaudeat, aut aliena subsistentia actuetur, quo casu alterius est, scil. assumentis.

41 PROP. 1. **In Christo una tantum persona est, et quidem divina persona Verbi.**

Post Diodorum tarsensem et Theodorum mopsuestenum, *Nestorius* (ab a⁰ 427 episcopus constantinopolitanus) docebat [2], in utero Virginis formatum esse hominem integrum, propria personalitate gaudentem, quem sibi Verbum conjunxerat eo fere modo, quo Deus unitur singulis justis, sed multo arctius. Posuit igitur in Christo duas personas *unione morali et accidentali* tantum copulatas. Siquidem dicebantur unitae, „primo quidem secundum *inhabitationem*, in quantum scil. Verbum Dei habitavit in illo homine sicut in templo [3]; secundo per

[1] Observa terminos: „*individuo* essentiae *substantialis*". Dico 1⁰ essentia *substantialis*", nam essentia quae est in genere accidentis v. g. albedo, ad dignitatem suppositi pertingere nequit, quum enim ejus esse necessario sit *inesse* = esse in alio, necessario est alterius. Dico 2⁰ „*individuum* essentiae substantialis", nam essentia specifica, ut sic, quum in rerum natura non exsistat, nequit esse sui ipsius, sed est omnium individuorum, de quibus praedicatur. — [2] Legatur Dr. L. Fendt, *Die Christologie des Nestorius*. Kempten. 1910. — [3] Verum est, s.

unitatem *affectus*, in quantum scil. voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei; tertio secundum *operationem*, prout scil. dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum; quarto secundum *dignitatem honoris*, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, coexhibetur filio hominis propter conjunctionem ad Filium Dei; quinto secundum aequivocationem, i. e. *communicationem nominum*, prout scil. dicimus illum hominem esse Deum et filium Dei. Manifestum est autem istos omnes modos accidentalem unionem importare" [1].

Consequenter Nestorius, distinguendo filium Dei et filium hominis, asserebat Christum proprie non Deum, sed *Θεοφόρον* dicendum esse; b. Virginem autem *Ἀνθρωποτόκον* aut *Χριστοτόκον*, non vero *Θεοτόκον* i.e. Deiparam appellandam esse.

Prop. est *fidei dogma* ex anathematismis s. Cyrilli alex. a CONC. EPHES. receptis, quorum secundus ita habet: „Si quis non confitetur, carni *καθ' ὑπόστασιν* unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eumdem scil. Deum simul et hominem, a. s." [2].

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura*, quae attributa et operationes 42
tum divinae, tum humanae naturae in Christo, eidem plane subjecto tribuit: quod fieri non posset, nisi Christus esset unus simpliciter, unum centrum attributionis, una persona: „Verbum caro factum est, et habitavit nobis"; ubi evidenter

---

Scripturam aliquando unionem divinitatis ad humanitatem comparare inhabitationi, ut v. g. *Coloss.* 2, 9: „In ipso (Christo) inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter"; sed comparatio hujus textus cum aliis totaque doctrina Scripturae ostendit, eum figurate intellegendum esse. Etiam anima nostra subinde dicitur habitare in corpore mortali, et nihilominus nemo id de accidentali unione intelligit. — [1] S. Thom. *S. Th.* III, 2, 6, c. — [2] Cfr. Denz. n°. 114. Versio antiqua formulam *καθ' ὑπόστασιν* reddidit per *secundum substantiam*. Notum autem est, significationem verborum *naturae, hypostasis, substantiae*, cet. olim non ita ratam ac firmam fuisse.

„caro factus" et habitans inter homines non est alius quam Verbum Dei [1]. — „Israelitae, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula" [2]. — „Si cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent" [3].

2⁰ Ex *ss. Patribus*, v. g. s. IGNATIUS M.: „Deus noster, Jesus Christus, parturiebatur a Maria" [4]. — TERTULLIANUS: „Nonne vere crucifixus est Deus, nonne vere mortuus" [5]. — Et: „Vidimus duplicem statum, non confusum sed conjunctum, in una persona Deum et hominem" [6]. — S. AMBROSIUS: „Non alter ex Patre, alter ex virgine, sed aliter ex Patre, aliter ex virgine" [7].

43 *Corollarium*. Argumenta allata, ostendendo in Christo unam tantum esse personam, simul ostendunt eam esse *divinam personam* Verbi. Quum enim Filius Dei mutationem subire nequeat, personalitatem perdere non potest. Restat igitur humanam Christi naturam propria personalitate caruisse[8], et ad personam Verbi pertinuisse, quod ceteroquin Patres diserte docent [9].

44 PROP. 2. **In Christo duae sunt naturae integrae et inconfusae.**

---

[1] *Jo.* 1, 14; cfr. s. Thom. *S. c. G.* 4, 34. — [2] *Rom.* 9, 5. — [3] *I Cor.* 2, 8; cfr. *Ephes.* 4, 10; *Philipp.* 2, 6. — [4] *Ephes.* 18, 2. — [5] *De carne Christi*, 5. — [6] *C. Prax.* 27. — [7] *De Incarn.* 5, n⁰ 35. — [8] Hinc si verba rigorose sumantur, dici non potest, Verbum assumpsisse *hominem*, nam „hoc nomen *homo* significat eum, qui habet naturam humanam". Nihilominus ecclesia canit: „Tu ad liberandum suscepturus hominem", cet. Quocirca animadvertit s. Thomas: „Hujusmodi locutiones non sunt extendendae tamquam propriae, sed pie sunt exponendae ubicumque a sanctis doctoribus ponuntur, ut dicamus hominem assumptum, quia ejus natura est assumpta, et quia assumptio terminata est ad hoc, ut Filius Dei sit homo" (*S. Th.* III, 4, 3). — [9] Cfr. S. Thom. *Comp. Theol.* c. 211.

Eutyches, archimandrita seu abbas monasterii prope Constantinopolim, qui Nestorium strenue oppugnaverat, ex male intellectis, ut videtur, quibusdam s. Cyrilli alex. sententiis, ad errorem oppositum devenit, ut scil. ne naturas quidem duas in Christo agnosceret, sed *unam naturam* tantum; unde ejus asseclae *Monophysitae* audiunt. „Confiteor, ita Eutyches, *ex* duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unitionem, *post unitionem vero unam naturam confiteor.*" Modum, quo ex duabus naturis post unionem una tantum remanserat, ipsi Monophysitae varie explicabant: putabant alii humanam naturam a divina fuisse *absorptam*, sicut gutta aquae absorbetur a mari: alii ex duabus naturis *permixtis unam novam resultasse*; alii divinitatem et humanitatem ita fere in unam naturam coaluisse, *sicut anima et corpus unam naturam humanam* efformant [1].

Prop. est *fidei dogma* ex CONC. CHALCEDON.: „Docemus ... unum eumdemque Christum, Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter *[ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως]* agnoscendum, nusquam sublata naturarum differentia propter unitionem" [2].

Probatur. 1° Ex *fontibus revelationis.* Vidimus secundum 45
doctrinam Scripturae et Patrum, eumdem Christum simul fuisse verum Deum et verum hominem, habuisse omnia tum quae divinitatis, tum quae humanitatis sunt. Atqui verus Deus non fuisset, nisi habuisset naturam divinam, verus homo non fuisset, nisi habuisset naturam humanam. Evidens autem est naturam seu essentiam divinam, et naturam seu essentiam humanam non esse unam naturam sed duas. Ergo.

[1] Ad Monophysitas pertinent saec. V et VI *Theopaschitae*, qui passionem ac mortem divinae naturae tribuebant, et hoc sensu Trisagio addebant: „Qui crucifixus es pro nobis"; atque docebant „unum de Trinitate passum esse". — [2] Cfr. Denz. n°. 148.

46 2° Ex *ratione*. Unificatio naturae divinae et naturae humanae, quocumque modo concipiatur, est intrinsece impossibilis. Etenim talis unificatio esset aut per *conversionem* alterutrius naturae in aliam, aut per *commixtionem* utriusque in novam, aut per *compositionem* utriusque in unam naturam completam, sicut ex anima et corpore fit natura humana.

Atqui a. repugnat *conversio* naturae divinae in humanam, quia natura divina est immutabilis; similiter repugnat conversio naturae humanae in divinam, quia sic creatura esset mutata in Deum. Ceteroquin evangelista dicit: „Verbum caro factum est", minime vero: caro facta est Verbum.

b. Repugnat *commixtio* utriusque naturae, quia haec supponit alterationem utriusque; divina autem natura alterationem non patitur.

c. Repugnat *compositio* utriusque in unam naturam completam, quia haec supponit utramque naturam incompletam fuisse et imperfectam. Natura autem divina certissime incompleta non est, et etiam natura humana in sua specie est completa.

Ergo Monophysitismus, quocumque modo concipiatur, falsus est [1].

PROP. 3. **Unio hypostatica 1° est relatio inter Verbum Dei et naturam humanam, 2° habens in sola natura humana fundamentum reale; 3° fundamentum autem**

---

[1] Verum est ss. Patres aliquando unionem Verbi incarnati vocare *mixtionem*, humanitatis *deificationem*, ipsumque Cyrillum alex. saepius dicere: *μία φύοις τοῦ Λόγου σεσαρκωμένη*. Ast si totam illorum doctrinam consideraveris, patet *mixtionem* apud eos significare intimam unionem tantum, non confusionem; *deificationem* humanitatis assumptionem et exaltationem per Verbum, minime vero conversionem in divinitatem. *„Unam autem naturam* prout illam Cyrillus urgebat contra Nestorium, revera intellegebat unam naturam per se subsistentem seu *unam personam*, uti ipse explicat in *Ep. 2 ad Succens.* Ceterum s. Cyrillus falso putabat terminum *μία φύσις* a b. Athanasio adhibitum fuisse. Cfr. *Bulletin de Toulouse*, 1903, p. 169; *Ned. Kath. Stemmen.* 1924, p. 218.

hoc consistere videtur in eo, quod humana natura, proprio actu exsistendi carens, per esse increatum Verbi consistat.

Vindicato dogmate de duabus naturis in una persona Verbi 47
conjunctis, quaerenda est penitior hujus mysterii intellegentia. Quocirca tria in propositione asseruntur: duo quae certa sunt apud omnes, tertium autem valde controversum.

I. Unio hypostatica, si sumitur non pro unitione seu actu 48
uniendi, sed pro habitudine inde resultante, est relatio inter Verbum Dei et naturam humanam singularem, vi cujus Verbum dicitur et vere est homo (= habens naturam humanam), et illa humana natura est propria Verbi.

II. Evidens est, nullam mutationem cadere posse in Deum; 49
consequenter fides catholica docet, ipsum Verbum in incarnatione prorsus immutabile perseverasse, secundum illud s. LEONIS M.: „In utraque ergo natura idem est Dei filius, nostra suscipiens et propria non amittens, in se immutabilis perseverans"[1]. Revera Filio Dei, enti infinito, nihil aut conferre aut detrahere potuit humana natura. Sequitur relationem, ex assumptione humanitatis de novo resultantem, quum nihil novi ponat in Verbo, non habere fundamentum reale in Verbo, sed in sola humanitate assumpta. Igitur relatio unionis hypostaticae realis est ex parte humanitatis, ex parte vero Verbi rationis tantum; quod ceteroquin valet de omni relatione inter Deum et creaturam[2].

---

[1] *Serm. 7 de Nativ.* n°. 1. — [2] Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, 2, 7; 16, 6, ad 2. — Nemini mirum videatur, Verbum absque sui mutatione et vi relationis, quae ex parte ipsius rationis tantum est, vere fieri hominem. Sicut enim Deus nihil mutatus, et quin in eo inveniatur relatio realis, vere factus est creator, quia res inceperunt exsistere per eum, ita Verbum vere factus est homo = habens humanitatem, quia natura humana incepit subsistere in eo.

50 III. His positis explicatio unionis hypostaticae fere reducitur ad quaestionem: quamnam mutationem unio ad Verbum ponat in natura assumpta, aliis verbis: in quonam natura humana Christi sese aliter habeat, quam v. g. natura humana Petri. In promptu quidem est responsio fidei catholicae: in eo, quod humanitas Christi non constituit personam distinctam, sed habetur a persona Verbi. At hoc loco *modus et ratio* rei investigandae sunt. Et ita exsurgunt duae quaestiones intime connexae, scil.

1° Quaenam est causa formalis, quod humana natura Christi propria personalitate careat? et

2° Quidnam est in humana natura Christi fundamentum suae relationis ad Verbum?

51 *Priorem* quaestionem quod attinet, supponendo realem distinctionem essentiam inter et exsistentiam, respondemus, humanitatem Christi ideo non esse personam distinctam, quia caret propria subsistentia (= proprio actu exsistendi eo modo, qui naturis substantialibus convenit); putamus enim naturam singularem completam, eo ipso quod proprio exsistendi actu gaudeat, necessario esse personam.

Alteri quaestioni respondemus, humanam naturam Christi ideo referri ad Verbum et vere haberi a Verbo, quia per esse increatum Verbi actuatur. Assumptio igitur humanitatis ad Verbum formaliter consistit in eo, quod esse personale Filii extenditur ad hanc naturam humanam, supplendo pro ea eminentiori modo vices creatae exsistentiae. Quod tamen non ita intellegas, ac si esse Verbi reciperetur in natura humana, aut contraheretur ad eam (quod mutationem in Verbo importaret); sed hoc sensu, quod haec humana natura a Deo producta est et conservatur non sub suo esse proprio, sed ut communicata personae Verbi, cujus increata exsistentia est illi loco esse proprii.

Sententiam expositam, quae multorum thomistarum est [1], 52
amplectimur:

a. Quia naturam unionis hypostaticae bene explicat. Explicat siquidem, quare humanitas Christi reapse sit propria Verbi, quare Filius Dei verissime dicatur subsistere in duplici natura, divina et humana. Explicat etiam, qua ratione in Domino omnia inveniantur, quae ad integritatem naturae humanae pertinent, quin ejus humanitas personae dignitatem habeat; esse enim exsistentiae (secundum sententiam omnibus thomistis communem, et ob rationes philosophicas saltem solide probabilem) non est de ratione naturae etiam singularis seu individuatae.

b. Quia in ea perfecte verificatur substantialis unitas Christi. Si humanae naturae Salvatoris propria actualitas tribuitur, illud esse humanitatis certe non est accidentale, sed substantiale. Sequeretur igitur in Verbo incarnato admittendas esse duas exsistentias substantiales; hoc autem posito non apparet, quomodo Christus sit unum ens simpliciter [2]. Quodsi dicatur duo simpliciter, quomodo erit una persona?

Principalis difficultas est: humana natura Christi vere est 53
creata; atqui terminus creationis est ipsum esse creatum in rebus. — Respondet BILLOT [3]: „Creatio non terminatur praecise ad esse exsistentiae, sed ad rem exsistentem. Unde ad hoc ut aliquid dicatur et sit creatura, non oportet ut esse, quo exsistit, sit esse creatum, sed sufficit plane ut secundum suam essentiam sit eductum de nihilo. Neque enim sola illa creatio agnoscenda est, qua res sit sub suo esse proprio, sed illa etiam, qua producitur ut communicata praeexsistenti supposito, juxta illud s. LEONIS M.: „Natura nostra non

[1] E. g. Capreolus, Paludanus, Salisburgenses, Sylvius, Billuart, et inter recentiores Terrien, *De unione hypostatica*; Billot, *De Verbo incarn.* Ed. 3 p. 139; Janssens, *Summ. Theol.* IV, p. 619. — [2] Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, 17. — [3] L. c., p. 138.

sic assumpta est, ut prius creata, postea assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur" [1]. — Addit Billot: magis proprie dici Filium Dei creatum esse secundum humanitatem, quam humanitatem Verbi esse creatam, quia proprie creatio de solis subsistentibus dicitur.

54 **Aliae sententiae.** — Quum ea, quae sub III diximus, a multis et insignibus theologis non admittantur, necesse est et alias sententias circa constitutivum formale unionis hypostaticae breviter referre. Dantur autem tres, quarum duae priores in hoc conveniunt, quod, non admittendo distinctionem realem inter naturam et exsistentiam, humanae naturae Christi propriam exsistentiam tribuunt.

55 I. **Scotus** (cum multis etiam ex aliis scholis) inter personalitatem et naturam exsistentem ponit distinctionem virtualem tantum, asserens naturam completam esse sui ipsius seu personam eo ipso, quod *non assumatur a supposito nobiliori*; unde in hac sententia personalitatis tessera est non-assumptio. Hi igitur docent, humanitatem Christi personalitate caruisse, non defectu alicujus quod in reliquis hominibus habet, sed unice quia de facto unita erat Verbo; ita ut si umquam a Verbo dimitteretur, eo ipso, et quin ei quidquam accederet, persona exsisteret.

Contra est: **a.** — Quod haec opinio, in quantum humanitati Domini propriam exsistentiam tribuit, difficilius salvat substantialem unitatem Christi.

b. — Quod causam formalem unionis hypostaticae non explicat. Non sufficit dicere, Deum hanc unionem velle et voluntatem Dei esse efficacem; nam divina voluntas est causa unionis efficiens, non formalis. Quaeritur autem de causa formali; quaeritur, quid unio hypostatica ponat in natura assumpta; quid in illa humanitate sit fundamentum suae

[1] *Ep. 35 ad Julian.* c. 3.

relationis ad Verbum. Sententia autem quam impugnamus eo videtur conducere, ut dicatur, ipsam formaliter assumptionem nullam importare mutationem realem in natura assumpta. Quod si verum sit, quaeritur, quomodo dari possit unio realis, quae in neutro unitorum mutationem inducat.

II. **Suarez** inter naturam exsistentem et personam ponit 56
distinctionem realem, asserens personalitatem formaliter consistere in *modo quodam exsistendi substantiali*, quo natura completa et exsistens redditur *incommunicabilis*, qui modus dicitur esse terminus purus, quia naturam terminat et quasi in se claudit, nihil ei addens, sicut punctum terminat lineam. Itaque qui Suarez sequuntur, docent humanitatem Christi ideo non esse personam, quia illi deest modalitas praedicta; causam autem formalem unionis hypostaticae in eo esse docent, quod loco illius modi deficientis in natura assumpta ponatur alius modus substantialis, quem unionis vocant, per quem illa natura fit propria Verbi.

Contra est eadem difficultas, quam primo loco Scotistis objecimus.

III. **Cajetanus** distinctionem realem adstruit tum inter 57
naturam et exsistentiam, tum inter has et perseitatem, sed perseitatem veluti mediam ponit inter naturam ut sic et actum exsistendi. Naturae, ita ait, primo additur *modus quidam realis*, quo fit unum in se, et per quem, accedente actu exsistendi, est suppositum seu persona. Qui igitur cum Cajetano sentiunt, docent humanae naturae Christi modum illum realem perseitatis deesse, eumque eminentiori modo suppleri per personalitatem Verbi. Quia autem ponunt, exsistentiam sequi perseitatem, addunt humanitatem Christi non propria exsistentia uti, sed per esse Verbi actuari.

Opinio haec unionem hypostaticam bene explicat, commendatur ex eo, quod facilius explicat, quare sola persona Filii carnem assumpserit; ceterum iisdem difficultatibus ac

ea, quam supra in prop. enuntiavimus, premitur, et ideo minus placet, quia putamus, eam absque sufficienti ratione inducere entitatem mediam inter naturam et exsistentiam.

58 **Scholion 1.** *Num Christus sit compositus?*[1] — *Christus*, si consideratur secundum totum, absque dubio praedicari potest et debet compositus, quia duae in illo uniuntur naturae inconfusae. Attamen naturae illae non sunt proprie partes. De ratione partis est, quod sit in potentia ad perfectionem totius, et quod ipsa aliquid conferat ad perfectionem totius. Atqui divina natura nullatenus est in potentia ad ulteriorem perfectionem, natura autem humana nihil perfectionis tribuit Verbo Dei. Quia tamen ex sua unione ad Verbum maxime perficitur, dici potest adhaerere Verbo ad modum partis.

De *persona Christi* olim acriter disputatum est, an possit dici composita, necne. Breviter respondendum videtur: si persona Christi sumatur pro eo, quod per se habet rationem personae in Christo, sic est simplicissima, est enim realiter identica naturae divinae; si vero persona Christi sumatur pro toto Christo (hic persona Christus), sic est composita, quia est unus subsistens in duabus naturis.

59 **Scholion 2.** *Unio Verbi incarnati comparatur cum unione animae et corporis in homine.* — Celebris est comparatio symboli: „Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus". Et merito, nam unio animae et corporis est exemplum propinquius, quod in naturalibus habetur ad illustrandam unionem hypostaticam. Sane anima et corpus **a.** simul una tantum sunt persona; **b.** uniuntur immediate, absque ulla entitate intermedia; **c.** uniuntur per hoc, quod anima rationalis suum esse communicet corpori; quae omnia etsi *longe alia ratione* etiam in unione Verbi incarnati locum habent. Praecipua autem differentia est, quod anima et corpus non uniuntur in persona,

[1] S. Thom. *S. Th.* III, 2, 4; cfr. Janssens, T. IV, p. 144—153.

nisi quia prius (prioritate logica) uniuntur in natura, simul constituendo unam naturam completam.

Scholion 3. *Quomodo incarnatio se habeat ad totam ss. Trinitatem, quomodo ad solum Filium.* — Fide docemur, unam tantum ex personis divinis, n. p. Filium, naturam nostram assumpsisse; quaeritur autem, quomodo id componatur cum effato notissimo: omnia opera ad extra sunt tribus personis communia. In incarnatione Filii Dei duo sunt distinguenda: actus seu *operatio*, per quam humana natura producitur et personae praeexsistenti conjungitur, et *terminus*, seu potius τὸ esse terminum, qui per praedictam efficientiam humana natura adjuncta exsistit. Hoc ultimum praecisive sumptum nullam dicit operationem. Iam quidquid in unione hypostatica seu in assumptione humanae naturae habet rationem operationis tribus personis commune est, ita ut recte diceres: tres personae divinae (non quidem formaliter ut sunt tres, sed ut sunt unum principium) incarnaverunt Filium, humanam naturam univerunt Filio [1]. At vero esse terminum hujus unionis soli Filio competit: solus Filius sibi habet naturam adjunctam, Hinc conc. tolet. XI (a. 675): „Incarnationem Filii Dei tota Trinitas operasse credenda est, solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae" [2]. — Nunc autem perpende sensum verbi *assumere*. Assumere i. e. sumere ad se, quo simul exprimit: actum unionis (*sumere*), et terminum ejus (*ad se*); et utrumque eidem supposito tribuit (*sumere* ad *se*). Hinc „assumere" de illo tantum praedicari potest, qui simul ét principium actionis est ét terminus ejus, igitur de solo Verbo, nam de solo Verbo verum est, quod ipse *fecit* (non exclusive tamen), ut *sibi* (exclusive) uniretur humanitas [3]. 60

[1] Cfr. *conc. lateran. IV:* „Christus a tota Trinitate communiter incarnatus." Denz. n° 429. — [2] Denz. n° 284; cfr. s. Thom. *S. Th.* III, 3, 4, c. — [3] Quomodo assumptio, minus proprie tamen, praedicari possit de natura divina, cfr. s. Thom. l. c. 3, 2.

61 Diximus solum Filium esse terminum, cui natura nostra copulata exsistit, quod in sententia, quam supra amplexímus, idem est ac dicere: naturam humanam Christi ineffabili quadam ratione actuari per esse increatum *Verbi*, i. e. per esse divinum, non prout est absolutum, sed praecise *prout distincto modo habetur a relatione filiationis*. Et ita solvitur difficultas, quam nonnulli contra praedictam sententiam movent dicendo: si unio hypostatica explicatur per hoc, quod esse divinum supplet vices creatae exsistentiae, quomodo solus Filius incarnatus est, quum esse trium personarum sit unum ac idem. Lege BILLOT, *De Verbo incarn.*, Thes. 11.

62 **Scholion 4.** *De extensione unionis hypostaticae.* — Verbum Patris ita naturam humanam assumpsit, ut *immediate* sibi assumpserit omnes et singulas ejus partes essentiales et integrales. Certum est. — Immediate assumptum intellegimus quod ipsum per se assumptum est; mediate assumptum dicitur quod solummodo conjungitur rei per se assumptae.

Partes *essentiales* naturae nostrae sunt anima intellectiva et corpus. Igitur Verbum non solum animam sed etiam corpus immediate ad suam traxit personam. Secus Filius Dei non vere esset homo, et Scriptura dicere non posset, quod „Verbum caro factum est". Sequeretur etiam, quod corpus Domini mortuum et sepultum Verbo non amplius fuisset unitum, quod esset contra fidem catholicam. — Neque his contradicit s. Thomas, docendo, Verbum corpus assumpsisse mediante anima, et animam mediante spiritu seu parte rationali [1]; nihil enim aliud intendit, quam Filium Dei assumpsisse corpus propter animam, et animam propter ejus partem superiorem, quamvis ceteroquin aeque immediate.

De singulis partibus *integrantibus* corporis superfluum est quaestionem movere; sufficit assertio generalis: omnia quae ita in humano corpore reperiuntur, ut vere sint partes ejus,

[1] *S. Th.* 6, 1—2.

id est, ut vere cum eo constituant aliquod unum per se, immediate unita sunt Verbo Dei. Unum addo: quidquid sit de quaestione scientifica, num sanguis sit animatus, certum est, sanguinem esse partem integralem corporis et immediate a Verbo assumptum. „Gutta sanguinis modica, ita CLEMENS VI, propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset" [1]. Sane si mediate tantum assumptus esset, non diceretur simpliciter sanguis filii Dei, neque ei tamquam pretio inaestimabili tribueretur redemptio nostra [2]. Rem insuper probat doctrina catholica de s. Eucharistia.

Corollarium. Saec. XV acriter disputatum est, num san- **63**
guis *in passione effusus* hypostatice cum Verbo unitus manserit [3]. Sententia affirmans postea invaluit; unde theologi cum s. Thoma [4] concludunt, totum sanguinem in passione (non alias) effusum ad corpus Domini in resurrectione rediisse. Quod tamen moraliter intellegendum est, nihil enim prohibet, guttas quasdam a Verbo dimissas in instrumentis passionis, cet. remansisse. Sed consultius est, ab hujusmodi quaestionibus abstinere.

Scholion 5. *De initio et duratione unionis hypostaticae.* — **64**
1. Fides catholica docet, humanam naturam Christi nullatenus exstitisse antequam uniretur Verbo, sed in ipso momento suae productionis, i. e. in momento conceptionis, a Verbo assumptam esse: „Natura nostra, ait s. LEO M., non ita assumpta est, ut prius creata postea assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur" [5]. Sane si aliter esset, Scriptura non diceret, filium Dei esse „factum ex muliere", et „ex semine David secundum carnem" [6]; neque recte in symbolo confiteremur: „Filium ejus unicum, qui conceptus est de Spiritu S.", [7] cet.

[1] *Extrav. comm.* 1. V, t. 9, c. 2. — [2] *I Petr.* 1, 19; *I Jo.* 1, 7; *Ephes.* 1, 7; cfr. de Lac quaestione Pohle, *Lehrb. d. Dogmatik*, t. II[3], p. 84. — [3] Cfr. Denz. n°. 718. — [4] Quodlib. V, a. 5. — [5] *Ep. 35 ad Julian.* 3. — [6] *Gal.* 4, 4; *Rom.* 1, 3. — [7] Cfr. S. Thom. II. *Th.* III, 33, 3.

Praeterea omnes, quidquid ceteroquin de tempore animationis censeant, unanimiter docent, corpus Christi ab ipso momento conceptionis anima rationali fuisse informatum, secundum illud JOANNIS DAMASC.: „Simul caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationis particeps et intellegentiae" [1].

65 2. De fide est, Verbum naturam assumptam numquam deposuisse, neque in aeternum depositurum esse [2]. Nonnulli haeretici docuerunt Filium Dei humanam naturam deseruisse tempore passionis et mortis. Contrarium patet ex symbolo: „Credo in . . . Filium ejus unicum, qui est passus, crucifixus, mortuus et sepultus". Neque obstant verba Domini in cruce: „Deus meus, ut quid me dereliquisti" [3]; nam, ut ait HUGO A. S. VICTORE: Deus humanitatem „dereliquit quia auxilium non contulit; subtraxit protectionem, sed non separavit unionem" [4].

Ceterum axioma: „quod Verbum semel assumpsit, numquam dimisit" cum grano salis intellegendum est, non enim excludit a corpore Christi, pro mortalis vitae suae stadio, consuetum elementorum fluxum. Quemadmodum enim per nutritionem et assimilationem nova elementa continuo assumebantur a Verbo, ita alia per transformationem continuo ab unione cum Verbo excidebant.

Unionem humanitatis ad Verbum in aeternum duraturam esse, patet ex Scriptura: „Hic autem, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium" [5]. Sacerdotium siquidem est munus Christi hominis.

---

[1] *De fide orthod.* l. II, 2, 3; cfr. s. Thom. *S. Th.* III, 33, 2. — [2] Cfr. Denz. n°. 148 „inseparabiliter". — [3] *Mt.* 27, 46. — [4] *De Sacram.* l. II, p. I. c. 10. — [5] *Hebr.* 7, 24.

CAPUT II

De iis, quae unionem verbi incarnati consequuntur

Ex eo, quod Christus est una persona, subsistens in duabus 66
naturis, nonnulla profluunt, quae specialem indagationem postulant, tum ut profundissimum Verbi incarnati mysterium plenius cognoscatur, tum ut errores tractu temporis exorti disertius excludantur.

Et quidem si Christum spectes secundum se, unionem hypostaticam duo sequuntur, scil. quod in Christo sunt duae voluntates et operationes: *Art. I*; et quod in eo admittenda est communicatio idiomatum: *Art. II.* Deinde si Christum spectes per comparationem ad Deum Patrem, sequitur quod in eo est una filiatio tantum: *Art. III.* Demum si Christum consideres per comparationem ad nos, sequitur quod ei debetur una tantum adoratio: *Art. IV.*

Art. I

DE DUPLICI VOLUNTATE ET OPERATIONE IN CHRISTO [1]

Ex male consulto conamine Monophysitas cum Catholicis 67
conciliandi, orta est saec. VII haeresis eorum, qui, duce Sergio ep. constantinop., unam tantum in Christo voluntatem (*θέλημα*) et operationem (*ἐνέργεια*) admittebant, et hac de causa *Monotheletae* aut Monergétae audiunt.

Quum voces *θέλημα* et *ἐνέργεια* tum potentiam activam, tum actum ejus significare possint, de sensu doctrinae monotheleticae non omnino constat. Certo docebant nullos fuisse in Christo *actus* vere et stricte humanos, tales n. p. quorum principium quo fuisset sola natura humana Verbi. Omnia igitur, quae Christus homo fecisse legitur: manducare, obedire,

[1] Cfr. s. Thom. *S. Th.* III, 18—19.

pati, cet., divinae naturae, sin minus unice, principaliter saltem tribuebant. Divinae naturae, dico, non ut principio imperanti ac dirigenti, sed ut principio elicienti. Praeterea juxta multos ipsam etiam *facultatem* volendi aliasque potentias operativas humanitati abjudicabant. Quidquid est, catholica veritas habet: **a.** naturam humanam Christi habuisse propriam facultatem volendi, aliasque potentias activas quas habet in nobis. ita ut in Christo fuerit duplex principium quo operationis vere distinctum: divinum scil. et humanum. — **b.** Voluntatem, aliasque potentias activas humanae naturae propria virtute in actus suos identidem exiisse, proinde fuisse in Christo duplicis generis operationem, divinam et humanam. In hunc igitur sensum sit:

68 PROP. **Admittendum est in Christo duplex volendi et operandi principium, et duplex operatio: divina et humana.**

Prop. est *de fide* ex CONC. CONSTANTINOP. III: „Duas naturales voluntates in eo [Christo] et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum ss. Patrum doctrinam adaeque praedicamus" [1]. — Quum voluntas et operatio divina extra quaestionem sit, de sola humana operatione dicimus.

Probatur. — 1° Ex *s. Scriptura.* „Pater, si vis, transfer calicem istum a me, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat" [2]. In hoc textu aliisque similibus aperte distinguitur aliqua voluntas (= volitio) Christi diversa a voluntate Patris. Atqui voluntas divinitatis, quum sit una numero in Verbo atque in Patre, nulla ratione contra voluntatem Patris distingui potest. Datur igitur in Christo alia voluntas praeter voluntatem divinam. — Praeterea Christus exercuit actus obedientiae [3], aliosque similes, qui a natura divina proficisci

[1] Denz. n°. 291. — [2] *Luc.* 22, 42; cfr. *Jo.* 5, 30; 6, 38. — [3] *Phil.* 2, 8; *Jo.* 14, 31; 15, 10.

nequeunt. Quodsi in Christo fuerunt actus vere humani, de potentiis humanitatis assumptae dubitari nequit: actus enim seu operatio facultatem manifestat.

2⁰ Ratione theologica ex *duplicitate naturarum* in Christo. **69** Si humanitas Christi propria voluntate ceterisque potentiis operativis caruisset, non fuisset natura integra, sed veluti vacua et inanis. Si autem, utut potentiis suis instructa, nihil per se sola operasset, admittendum foret, eam aut nihil omnino ad actiones Christi hominis contulisse, sed omnia soli divinitati tribuenda esse; aut eam simul cum divinitate unum principium quo totale operationis efformasse. Si primum admittas, vix non necessario incidis in errorem Docetarum; quomodo enim defendes veram humanitatem nihil prorsus agentem, ideoque frustra assumptam. Si alterum admittas (quemadmodum Monotheletae fecisse videntur) necessario incides in haeresim Monophysitarum; idem enim est asserere divinitatem et humanitatem in Christo unum principium operationis efformasse, ac dicere eas in unam naturam coaluisse. Hinc Monophysitae, exorta doctrina de unica operatione, triumphantes dixerunt, concilium chalcedonense ad ipsos venisse, non se ad illud ivisse.

Corollarium. Etsi duae in Christo dentur operationes, *unus* **70** *tantum est operans*, n. p. persona Verbi, quae est principium quod omnium actionum, tum earum quarum principium quo est natura divina, tum earum quarum principium quo est natura humana.

Revera operatio, quia sequitur naturam, diversificatur pro diversitate naturae, cujus ope elicitur; sed nihilominus ultimo attribuitur habenti naturam, quippe qui per eam agit, secundum illud: actiones sunt suppositorum.

Scholion 1. *De nomine operationis theandricae.* — Mono- **71** theletae multum abutebantur effato vulgati Dionysii Areop.[1],

[1] Scripta Dionysio Areopagitae vulgo tributa primo memorantur

„θεανδρικὴν ἐνέργειαν" (= *deivirilem operationem*) Christo tribuentis. Doctrina Dionysii monotheletica non erat; formula autem est de se ambigua, unde Martinus I in conc. lateran. (649) eam rejicit in quantum adhiberetur ut designativa unius operationis, permittit vero in quantum est demonstrativa mirificae et gloriosae unitionis, seu connexionis utriusque operationis in Christo [1]. Nam in Salvatore nostro „utraque forma [natura] cum alterius communione agit quod proprium est" [2].

Igitur operationes theandricae proprie vocantur illi actus Christi, ad quos *utraque natura suo modo concurrebat*, opera scil. divina, quae Christus patrabat per ministerium aliquod humanitatis suae, ut v. g. quando virtute divina Lazarum resuscitabat humana voce dicendo: „Veni foras!" — Dixi, utramque naturam *suo modo* concurrisse, divinitatem scil. ut causam principalem. humanitatem ut instrumentum. Observa autem humanae naturae minime detrectari operationem propriam ex eo, quod dicitur instrumentum divinitatis, nam de ratione instrumenti est, quod habeat „duas actiones unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria sed in virtute principalis agentis, aliam autem habet actionem propriam, quae competit ei secundum propriam formam. Non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam" [3]. — Haec de actionibus proprie theandricis: nam in sensu latiori *omnes actiones humanae* Christi vocari possunt theandricae, tum ratione dignitatis ac valoris moralis quem habent a divina persona operantis, tum ratione specialis providentiae, qua Verbum omnes actus suae humanitatis dirigebat.

72 Scholion 2. *De morali unitate voluntatis in Christo.* —

---

occasione controversiarum monotheleticarum, et quidem a Severianis monophysitis, in collatione a. 531 Constantinopoli habita. — [1] Cfr. Denz. n° 268. — [2] Ita S. Leo I, *Ep. ad Flavianum*, Cfr. Denz. n° 144 — [3] S. Thom. *S. Th.* III, **62**, 1 ad 2; cfr. **19**, 1, ad 2.

Monotheletae fingebant, doctrinam de duplici voluntate importare aut saltem insinuare discordiam et *pugnam* voluntatum in Christo [1]; hinc conc. constantinop. III definivit: „Praedicamus duas naturales voluntates non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subjectam divinae ejus atque omnipotenti voluntati" [2]. Humana siquidem voluntas in omnibus perfecte obediebat divinae, et ita quae physice duae erant, moraliter una exsistebant.

Neque contrarium probant verba Christi: „Pater, si vis, transfer calicem istum a me, verumtamen non mea voluntas sed tua fiat" [3]. — Sane ut habeatur pugna inter duas voluntates, necesse est ut eadem res sub eodem respectu uni placeat, alteri non placeat. Jam calix passionis placebat voluntati divinae, non ut finis, i. e. non propter se, seu ut erat malum humanitatis Christi, sed unice ut erat medium ad nostram salutem. Idem autem calix secundum se consideratus displicebat voluntati humanae, et hanc displicentiam Christus ad nostram eruditionem verbis exprimere voluit orando: „Si vis, transfer calicem"; at vero consideratus ut medium, a Patre electum ad redemptionem nostram, eidem voluntati humanae non displicebat, sed obedienter ab ea accipiebatur, uti patet ex verbis additis: „Verumtamen non mea voluntas,

---

[1] Et haec fuit ratio, cur Honorius papa I, adjunctorum ignarus et astutia Sergii circumventus, consensit ut de una vel gemina operatione in Christo silentium servaretur, unde postea ut fautor haereseos condemnatus est. Cfr. tract. *De Eccles.* no. 191. Quod autem ipse Honorius omnino catholice sentiebat, manifestum est ex his verbis quae leguntur in *2a ejus ad Sergium ep:* „Utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, et divina quidem quae Dei sunt operantem, et humana quae carnis sunt exsequentem, non divise neque confuse aut convertibiliter, Dei naturam in hominem, et humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integre confitentes". — [2] Denz. n° 294. — [3] *Luc.* 22, 42; cfr. *Mt.* 26, 39; *Mc.* 14, 36.

sed tua fiat!" Nulla igitur oppositio, nulla pugna, sed perfecta conformitas [1].

Praeter voluntatem rationalem, Christus, utpote perfectus homo, etiam habuit *appetitum sensitivum*. Sed quum inferior ille appetitus, uti suo loco dicemus [2], perfecte ordinatus exsisteret, plene subjiciebatur voluntati rationali; unde neque ex hac parte pugna erat in Christo.

Art. II

DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM

73 *Idioma* generatim est proprietas, et hic intellegitur omne id, quod ita alicui naturae proprium est, ut de habente naturam praedicari possit. Unde v.g. idiomata humanae naturae sunt omnia ejus attributa: qualitates, operationes, passiones, ipsa natura ejusque constitutiva ac partes; nam de supposito humanae naturae praedicari potest v. g. quod sit magnus et doctus, quod ambulet, quod moriatur, quod sit homo = habens humanam naturam, quod habeat corpus, manus, cet.

Communicatio igitur (seu ut Graeci dicunt *ἀντίδοσις* = permutatio) *idiomatum*, Christo applicata, est modus loquendi, quo idiomata naturae divinae praedicantur aut de *natura humana*, aut de *supposito naturae humanae*, et vice versa.

74 PROP. **Admittenda est in Christo aliqua communicatio idiomatum, illa scil. per quam proprietates naturae humanae praedicantur de Verbo Dei, et proprietates naturae divinae de homine Jesu.**

Dicimus admittendam esse communicationem idiomatum, non omnem, sed *aliquam*, illam scil. solam, qua *personae* denominatae ab una natura (Verbo Dei, homini Jesu) tribuuntur proprietates alterius naturae.

---

[1] Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, 18, 5. — [2] n°. 120.

Excluditur ergo alia communicatio idiomatum, qua uni *naturae* tribuerentur propria alterius naturae.

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura*, quae communicationem idio- **75**
matum supra expositam saepius adhibet: „Si enim cognovissent [principes hujus saeculi], numquam dominum gloriae crucifixissent" [1]. — „Vos auctorem vitae interfecistis" [2]. — „Regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo." [3]

Idem faciunt ss. Patres, et s. Liturgia e. g. quoties b. Virginem vocant *matrem Dei.*

2° *Ratione theologica.* Persona est ultimum attributionis centrum, de quo omnia quae ad ipsam pertinent praedicari possunt; atqui in Christo est una persona, subsistens in duabus naturis; ergo huic personae omnia attribui possunt, quae ad ipsam quomodocumque pertinent, sive ratione naturae divinae, sive ratione naturae humanae.

Nec refert a quacumque natura personam denomines, sive enim adhibueris nomen desumptum a natura divina (v. g. Deus, Verbum, Filius Patris, Dominus gloriae, Aeternus), sive usurpaveris nomen desumptum a natura humana (hic homo, filius hominis, filius Mariae, cet.), dummodo personam i. e. habentem naturam significes, semper eamdem personam designas, cui omnia conveniunt, tum quae divinitatis, tum quae humanitatis sunt.

Corollarium. — In doctrina de communicandis idiomatibus **76**
catholica veritas mediat inter Nestorium et Eutychetem. Nestorius, ponendo duas personas in Christo, nullam admittere potuit communicationem idiomatum (proprie dictam saltem; docebat enim proprietates divinae personae latiori quodam atque improprio sensu personae humanae tribui posse; cfr. n° **41**). Eutyches vero, unam tantum naturam post incarnationem admittendo, putabat non solum de persona

[1] *II Cor.* **2**, 8. — [2] *Act.* **3**, 15. — [3] L. c. **20**, 28.

Verbi, sed etiam de unica ejus natura promiscue praedicari posse tum quae humanitatis, tum quae divinitatis sunt, ita ut v. g. secundum Monophysitas dicere liceret: Divinitas crucifixa est.

Etiam Lutherus cum quibusdam ex suis asseclis communicationem idiomatum nimium extendebat, asserendo attributa divina, in specie omnipraesentiam seu *ubiquitatem* naturae assumptae communicatam esse. Quod ideo excogitarunt, ut realem corporis Christi eucharistici praesentiam in multis locis simul tuerentur, non admissa transsubstantiatione. Ast *ubiquistae* aperte contradicunt ipsi Christo, qui ubiquitatem suae humanitatis manifeste excludit, dicendo: „Gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum [Lazarum]" [1].

77 Scholion. *Regulae in usu communicationis idiomatum servandae* [2]. — Ne idiomata perperam communicentur, theologi has regulas tradere solent.

1⁰ Communicatio idiomatum *in concreto,* seu per terminos concretos, tantum fieri potest, non vero in abstracto, seu per terminos abstractos.

Termini concreti intelleguntur illa nomina, quae significant naturam aut ejus proprietates ut in supposito habente eas, a. v. quae supponunt pro persona habente naturam et proprietates, v. g. Deus, homo, aeternus, mortalis. Contra *termini abstracti* significant naturam ejusque partes, proprietates, cet. seorsum seu praescindendo a personalitate, v. g. divinitas, humanitas, corpus, anima.

Hinc dicere licet: Deus passus est; Deus est homo; hic homo omnipotens est; hic mortalis aeternus est; Filius Mariae est creator mundi. Sed dici nequit: Divinitas passa est; Divinitas est homo, aut: Deus est humanitas, aut: Divinitas est humanitas; haec natura humana omnipotens, aut aeterna est; Verbum Patris est corpus.

[1] *Jo.* II, 15. — [2] Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, 16.

Ratio regulae, ut ex exemplis patet, haec est: per communicationem idiomatum in abstracto proprietates unius naturae praedicarentur de altera natura [1].

2° Communicatio idiomatum locum non habet, quando 78
termini, etiam concreti, sumuntur *reduplicative*, „quia terminus in reduplicatione positus, magis proprie tenetur pro natura quam pro supposito" [2]. Hinc dici nequit: Homo Jesus, qua homo, aeternus est; Filius Patris, qua talis, natus est de Virgine.

3° Communicatio idiomatum, etsi adhibeantur termini con- 79
creti, locum non habet *in propositionibus negativis*, quae scil. proprietates alterutrius naturae removent a subjecto. Dici igitur nequit: Verbum Dei non est passum; Filius Mariae non est omnipotens. Ratio: negatio subjectum totaliter et sub omni respectu ab ambitu praedicati excludit.

4° Vitandae sunt locutiones, quibus insinuaretur *humanitatem Christi exstitisse ante unionem cum Verbo*, v.g. homo factus est Deus; hic homo factus est Filius Dei [3].

5° Vitandae sunt locutiones, quae etsi verum sensum 80
habere possint, ex adjunctis *favent erroribus* haereticorum, cum quibus „nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori favere videamur" [4]. Hinc olim propter Arianos, nunc autem propter incredulos et rationalistas abstinendum est a formula: Christus est creatura.

---

[1] Nomina abstracta, quae significant proprietates (divinas) *ut subsistentes*, aequivalent nominibus concretis; unde dici potest: Sapientia illuditur; Vita moritur, cet. — [2] S. Thom. l. c. 11, c. — [3] Cfr. S. Thom. l. c. 7. — [4] S. Thom. l. c. 8, c.

Art. III

DE UNICA FILIATIONE CHRISTI

81 Unica persona Verbi, quum Deus simul et homo sit, duplicem habet nativitatem et generationem (passivam), ab aeterno enim natus est ex Patre secundum divinam naturam, in tempore natus est ex Virgine secundum humanam naturam; unde eadem persona est filius Patris et filius Mariae. Et haec quidem constant; sed quaeritur in praesenti de relatione *Christi hominis ad Deum Patrem*. Siquidem saec. VIII Felix et Elipandus, episcopi hispani, docuerunt, Christum ut est Verbum Dei dicendum esse filium Dei naturalem, sed eumdem *Christum, si consideretur ut hic homo*, vocari debere filium Dei adoptivum tantum. Admittebant igitur in Christo, praeter filiationem naturalem, etiam filiationem adoptivam, unde *Adoptiani* vocantur.

Jam contra adoptianismum tenendum est, unam tantum esse in Christo filiationem, eamque naturalem. Sit igitur:

82 PROP. **Christus, etiam ut hic homo, est filius Dei naturalis, non adoptivus.**

Filius *naturalis* est, qui genitus est ex eo, cujus filius dicitur; filius *adoptivus* est persona extranea[1], gratuito in filium assumpta ab eo, cujus filius vocatur.

Diligenter determinandus est sensus assertionis catholicae. Non dicitur, Christum *ratione* suae humanitatis, aut *propter* suam humanitatem esse filium naturalem Dei; quod esset aperte falsum, imo et haereticum; significaret enim Christum

[1] *Extranea*, scil. adoptanti, i. e. *non genita* ab eo, cujus filius adoptivus vocatur. Unde vides eamdem personam non posse simul esse filium naturalem et adoptivum respectu ejusdem patris. Sane adoptio est quaedam *similitudo* generationis, qua quis *in jura filii* assumitur; ineptum autem esset, similitudinem generationis praedicare de eo, in quo vera generatio invenitur; assumere in jura filii, qui natura filius est. Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, 23, 4.

humanam naturam generatione ex Patre accepisse. Id unum asserimus, Christum nullo modo vocari posse filium Dei adoptivum, sed naturalem tantum. Sive igitur Christum consideres ut suppositum naturae divinae, sive eumdem consideres ut suppositum humanae naturae, semper eum praedicare debes filium Dei naturalem. Et quemadmodum dicis: Verbum Patris est filius Dei naturalis, ita etiam dicere debes: homo Jesus est filius Dei naturalis.

Propositio est *fidei dogma* ex conc. francofordiensi (a. 794) et subsequente epistola Hadriani papae I, in qua „de adoptione Jesu Christi, filii Dei secundum carnem" dicitur: „Hoc catholica ecclesia numquam credidit, numquam docuit, numquam male credentibus assensum praebuit" [1].

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura,* quae hominem Jesum vocat 83
proprium filium Dei: „Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum" [2]; et edicit, Christum hominem ideo angelis praecellere quia est filius Dei *genitus:* „Locutus est nobis in Filio, . . . qui . . . tanto melior angelis effectus [est], quanto differentius prae illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te" [3].

2° Ex *ss. Patribus,* e. g. S. AUGUSTINO, qui de Christo baptizante, ergo de Christo homine dicit; „Oportebat ergo, ut ille baptizaret, qui est filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii ministri sunt unici. Unicus habet potestatem, adoptati ministerium" [4].

3° *Ratione theologica.* Filiatio seu esse filium (sive genitum sive adoptatum) proprie convenit personae, non naturae. Atqui in Christo una tantum persona est, eaque divina, cui convenit esse filium Dei per naturam. Qui igitur dicunt hominem Jesum esse tantum filium Dei adoptivum, assertum suum aliter sustinere nequeunt, quam ponendo duas personas in

[1] Denz. n° 309. — [2] *Rom.* 8, 32. — [3] *Hebr.* 1, 2, 4—5. — [4] *In Jo. Tract.* 7, n° 4.

Christo. Hinc patres francoford. adoptianis dixerunt: Nonne olim eadem haeresis vestra in Nestorio ab universali sancta ecclesia refutata est etiam et damnata" [1].

84 *Corollarium.* Saec. XIV Scotus, Durandus, cet. *alio modo* filiationem quamdam adoptivam ponebant in Christo. Dicebant: hominem Jesum, seu: Christum, ut est hic homo, esse filium Dei naturalem — et ita vitabant adoptianismum haereticum —; addebant vero *naturam humanam* Christi per gratiam sanctificantem filiationem Dei adoptivam consecutam esse. Doctrina haec non ponit duas personas in Christo, neque ab ecclesia condemnata est, merito tamen ab omnibus rejicitur ut falsa, quia filiatio (sive naturalis, sive adoptiva) non cadit in naturam, sed in personam tantum [2].

85 **Scholion 1.** *Num Christus dici possit subjectus Deo et servus Dei?* — Officia et jura attribuuntur supposito, non praecise quia suppositum est, sed quia est suppositum talis naturae [3]. Quum igitur in Christo una persona subsistat in duabus naturis, officia et jura possunt distingui in eo pro distinctione naturarum. Subjici autem Deo, servire Deo sunt officia humanam naturam consequentia. Hinc dici potest, quod Christus fuit subjectus Patri et servus Dei. Praestat tamen adjungere: „secundum humanam naturam", ut indicetur subjectionem et servitutem illi non convenire ratione personae, sed ratione naturae assumptae tantum [4].

Nomen „servus Dei" in Veteri Test. aliquoties adhibetur de Christo venturo; numquam vero in Novo Test [5].

86 **Scholion 2.** *Num Christus - homo dici possit praedestinatus?*

[1] Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, **23**, 4. — [2] Cfr. Vacant, *Dict. de théol. cath.* I, p. 418. — [3] Nam equus et asinus sunt supposita, et tamen nullius juris seu officii capaces sunt, quia non habent naturam rationalem. — [4] Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, **20**, 1. — [5] *Is.* **42**, 1; **49**, 5; *Zach.* **3**, 8; cfr. *Hebr.* **3**, 5—6.

Praedestinatio est aeterna praeordinatio de iis, quae per gratiam fiunt in tempore. Quum igitur ab aeterno praeordinatum fuit, ut haec natura humana in ipsa sui productione hypostatice uniretur Verbo, hoc sensu dici potest Christum hominem praedestinatum fuisse. Sed praedestinatio nullatenus cadit in personam Verbi (quae est praedestinans, non praedestinata); neque hoc habuit, ut aliquis homo fieret filius Dei naturalis[1].

Ceterum quaestio de praedestinatione Christi vix mota fuisset, nisi Vulgata haberet: „De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, *qui praedestinatus est Filius Dei* in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum". Sed tota difficultas oritur ex traductione Vulgatae, nam graece legitur: „qui *declaratus* est Filius Dei . . ."[2], ita ut sensus sit: homo Jesus palam manifestatus est ut Filius Dei per miracula, per effusionem Spiritus sanctificationis, per resurrectionem ex mortuis.

Art. IV

DE UNICA ADORATIONE CHRISTI

Si Verbum incarnatum consideratur per comparationem ad nos, colendum est adoratione. Sed antequam de adoratione Christi dicamus, sunt quaedam

Praenotanda *de cultu religioso* in genere[3]. 87

1° *Cultus* in sensu strictiore est honor cum submissione[4], alicui exhibitus propter ejus excellentiam.

Objectum cultus *materiale* est suppositum, cui honor

---

[1] Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, 24. — [2] *Rom.* 1, 3—4. *Περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ . . . τοῦ ὁρισθέντος* [non: *προορισθέντος*] *υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει κ.τ.λ.* — [3] Cfr. *Studiën* 1909. T. 72, p. 157. — [4] Additur: cum submissione, quia non omnis honor rationem cultus habet, sed is tantum qui exhibetur *superiori*. Deus sanctis suis honorem exhibet, non cultum.

exhibetur ; *objectum formale* (seu motivum intrinsecum, ratio intrinseca [1], propter quam suppositum colitur) est ejus excellentia agnita.

88 2⁰ Cultus *specie* differt prout ejus objectum formale est excellentia increata, aut excellentia creata. Honor exhibitus propter excellentiam increatam seu divinam, vocatur cultus latreuticus, *latria*, adoratio in sensu stricto : aanbidding [2]. Honor vero exhibitus propter excellentiam creatam supernaturalem [3], vocatur *dulia* aut *hyperdulia* (hae enim gradu tantum differunt) et apud nos *veneratio* : vereering.

89 3⁰ Pro diverso modo, quo objectum materiale cultus conjungitur cum ejus objecto formali, distinguitur cultus (sive latriae, sive duliae) in absolutum et relativum. Quoties objectum materiale colitur propter excellentiam *propriam* (i. e. sibi aut identicam, aut per modum formae inhaerentem, aut substantialiter unitam,) habetur cultus *absolutus*. Hinc cultus absolutus defertur Deo, qui est sua excellentia ; angelis, quibus sanctitas inest per modum formae ; corpori sanctorum animae unito ; humanitati Christi unitae divinitati.

Quoties vero objectum materiale colitur propter excellentiam alterius suppositi, *sibi moraliter tantum unitam*, quatenus scil. habet nexum logicum (sive ratione repraesentationis sive ratione praeteritae conjunctionis physicae) cum supposito

[1] Dicitur : motivum *intrinsecum*, nam objectum formale distinguitur a motivo extrinseco, quod potest esse multiplex v.g. gratitudo, amor, timor, cet. — [2] Vox *adoratio* hodie ex usu, maxime vulgari, fere semper solum cultum latreuticum designat, sed antiquitus et praecipue in V. T. etiam pro cultu duliae ipsoque cultu civili adhibebatur ; *Gen.* 23, 7. — Voces *latria* (*λατρεύειν*) et *dulia* (*δουλεύειν*) diversam significationem supra indicatam, non ex etymologia, sed ex usu habent. Cfr. s. Augustin. *De Civ.* 10, 1. — [3] Cultus enim propter excellentiam creatam *naturalem* est cultus civilis seu politicus. — Cultus summo pontifici, episcopis cet. exhibitus propter *munus sacrum*, mediat fere inter cultum religiosum duliae et cultum civilem.

cui excellentia inest propria, uti v. g. fit in ligno s. Crucis, imaginibus, reliquiis, habetur cultus *relativus*. Qui cultus merito vocatur relativus, nam in eo objectum materiale non colitur nisi propter suam relationem ad aliud suppositum, unde et cultus tali objecto exhibitus ex intentione colentis refertur ad aliud suppositum, ad illud scil., cui excellentia inest propria.

His praenotatis sit:

PROP. **Totus Christus una adoratione latreutica colen-** 90
dus est.

Quaestio de honore Christo debito, duplici ratione intellegi potest; aut ita ut quaeratur: num toti Christo *ex diversis titulis* deferri possit vel debeat diversus cultus; aut ita: num cultus latreuticus, qui certo certius Verbo Patris convenit, absque distinctione aut praecisione deferendus *sit toti Christo*, i. e. Verbo incarnato. Propositio nostra non agit de priore quaestione, sed de altera tantum.

Asseritur itaque *objectum materiale* cultus latreutici esse totum Christum, unam personam in duabus naturis, Deum simul et hominem. Et ita, quia una est *res adorata*, scil. totus Christus, statuitur adoratio una, non duplex, *una np. ex parte objecti materialis*. Adoratio autem haec vocatur latreutica, quia ejus objectum formale est excellentia increata seu divinitas. Et intellegitur, ut per se patet, cultus latriae absolutus.

Duo igitur caventur: 91

a. Ne contendas, alium cultum deberi Filio Dei, alium Filio Mariae, nam qui cultum Christo praestandum multiplicaret ex parte objecti materialis, et hoc sensu duas adorationes statueret, necessaria consequentia eo adduceretur, ut duo supposita colenda, duas personas in Christo admitteret [1].

b. Ne ab adoratione latriae, Verbo incarnato praestanda,

[1] Cfr. Denz. n°. 120.

excludas humanam Christi naturam, quasi ad Verbum Dei qua tale tantum, i. e. ad solam naturam divinam dirigeretur adoratio nostra, sic enim non totus Christus coleretur.

Propositio est *fidei dogma* ex CONC. CONSTANTINOP. II: „Si quis non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ejus carne adorat, juxta quod sanctae Dei ecclesiae ab initio traditum est, talis a. s. [1]

92 *Probatur.* 1° Ex *s. Scriptura*, quae aperte docet Christo, ut huic *homini*, ideoque minime exclusa humanitate, convenire cultum latriae, v. g.: „Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem . . . , propter quod et Deus exaltavit illum . . . , ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia dominus J. C. in gloria est Dei Patris" [2].

2° Ex *ss. Patribus* e. g. S. ATHANASIUS: „Neque corpus a Verbo dividentes seorsum adoramus, neque Verbum adorare volentes ipsum longe a carne sejungimus, sed cum sciamus Verbum carnem factum esse, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita decipit, ut Domino dicat: recede a corpore, ut te adorem" [3]. — S. CYRILLUS ALEX.: „Adoratur etiam cum carne, ut ante carnem adorandus erat" [4].

93 3° *Ratione theologica.* Honor proprie defertur *toti rei subsistenti;* etsi enim aliquando directius impendatur alicui parti, v. g. manui aut pedi osculatis, semper in iis partibus honoratur totum subsistens [5].

Unde sic. Dicitur a. — Cultum exhiberi *„rei subsistenti"*, i. e. personae. Atqui in Christo non est nisi unus subsistens in duabus naturis, ergo unum tantum objectum materiale (totale) cultus; et ita non est locus duplici cultui sed uni tantum.

---

[1] Denz. n°. 221. — [2] *Phil.* 2, 8. — [3] *Ep. ad Adelphium*, 3. — [4] *Adv. Nestor.* II, 11. — [5] Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, 25, 1.

Deinde si cultus proprie exhibetur personae, certe dignitati personae correspondere debet; ergo unus ille cultus Christo, personae *divinae*, exhibendus, necessario erit cultus latriae.

Dicitur b. — Cultum proprie deferri „*toti* rei subsistenti", i. e. personae cum omnibus quae ei ita insunt, ut unum totum per se constituant, nam honor terminatur per se ad suppositum, ratione autem suppositi ad omnia quae ei insunt. Atqui tota res subsistens in casu est totus Christus: persona divina cum natura humana, anima, corpore, corde, pedibus, cet. Ergo unus ille cultus latreuticus Christo debitus, dirigitur ad omnia, quae personae Verbi insunt, ergo etiam ad humanitatem, corpus, cor, manus, cet.

Scholion 1. *Qua ratione in Verbo adoretur humanitas.* — 94 Constat ex praedictis etiam humanam Christi naturam latreutice adorari. Res plenissime confirmatur ex damnatione prop. 61 synodi pistor.[1]; sed ampliori declaratione indiget.

Imprimis evidens est, humanitatem Christi, si per se et praecisive sumatur, i. e. *cogitetur separata a Verbo*, adorari nec debere nec posse. Quoties igitur agitur de adoranda Christi humanitate, haec semper consideratur formaliter ut humanitas Christi, i. e. *ut Verbo Patris hypostatice unita*. Et sequitur illam humanam naturam, etiam hoc modo sumptam, non posse adorari *propter seipsam*, quia ipsi humanitati

[1] „Propositio, quae asserit, *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturae*, quatenus per hoc verbum: *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se et tamquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur; — falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et injuriosa". Cfr. Denz. n⁰ 1561.

Christi, quocumque modo consideretur, numquam *formaliter* inest excellentia movens ad cultum latriae.

Nunc autem considerandum est, omnem cultum *semper* dirigi ad *totam* rem subsistentem, i. e. ad totum Christum. Humanitas igitur numquam est objectum materiale totale adorationis nostrae, sed semper ac necessario *objectum partiale* tantum, est enim pars (aut quasi pars) totius Christi, et quidem pars omnino secundaria, unde etiam in ratione objecti materialis adorationis sese habet ut quid *secundarium*, nam increata excellentia, quae divinitati Christi inest per identitatem, humanitati ejus conjungitur tantum (utique hypostatice). Et ideo dici potest, humanitatem Christi, utpote objectum *partiale* et *secundarium* adorationis, et quod non propter seipsum colitur, sed *propter aliud sibi hypostatice unitum*, magis *coadorari* in persona Verbi, quam adorari. Quod tamen non ita intellegas, ac si ipsa humanitas non adoraretur; revera *ipsa* adoratur, *directe* adoratur (cultus enim in totam rem subsistentem directus, eo ipso dirigitur ad omnes ejus partes aut quasi partes), sed non adoratur propter *seipsam*. Neque inferas: ergo humanitati Christi defertur cultus latriae relativus; minime, non enim adoratur propter excellentiam alieni suppositi, sibi moraliter unitam, sed propter excellentiam suppositi in quo subsistit, et cum quo unum totum per se constituit.

Ceterum, quid mirum, si honor divinus secundario et per quamdam participationem extendatur ad naturam creatam, ad quam ineffabili quodam modo ipsum esse personale Verbi divini extenditur.

Quae autem de tota humanitate Christi diximus, singulis ejus partibus applicantur.

95 Scholion 2. *De iis, quae in Christo-homine speciali modo coluntur, et praecipue de cultu ss. Cordis Jesu.* — Quoties Christus adoratur, totus adoratur cum omnibus quae ad ipsum pertinent. Sed usus fidelium et ipsius ecclesiae habet, ut

quaedam ad humanitatem Domini pertinentia *speciali* cultu honorentur, ea scil. in quibus divinae perfectiones *singulari* quadam ratione elucent. Et ita specialiter colunter **a.** *mysteria vitae Christi:* nativitas, passio, ascensio, transfiguratio, cet., nam haec omnia ad humanam Christi naturam pertinent [1]; **b.** *quaedam partes* humanitatis Christi, scil. membra s. vulneribus consignata, seu *vulnera* Christi (quae externam Domini passionem nobis ob oculos ponunt), pretiosissimus *Sanguis* Christi (qui fuit pretium nostrae redemptionis) et praeprimis sacratissimum *Cor* Jesu (quod specialius internos Domini affectus repraesentat). Atque de his primo nonnulla generaliter observanda veniunt, deinde pauca specialiter addenda de cultu ss. Cordis.

96 1° Ut speciales illi cultus rite intellegantur, distinguenda sunt ex parte objecti materialis: *objectum proximum* et *objectum integrum* seu totale; ex parte motivi: *ratio movens ad tale objectum proximum* prae aliis *specialiter* colendum, et *ratio intrinseca specificans cultum* seu verum objectum formale.

Ita v. g. resurrectio aut sanguis Domini sunt objectum materiale *proximum* nostri cultus, sed objectum materiale *integrum* semper manet totus Christus: Christus resurgens, Christus sanguinem suum fundens; numquam enim fideles corpus resurgens aut sanguinem Christi adorant, ut separatum

[1] Observare liceat, ecclesiam nullum festum agere in honorem unius personae ss. Trinitatis, qua talis. „Innocentius XII sollemnia quaedam honori Patris propria postulantibus omnino negavit. Quod si singula incarnati Verbi mysteria certis diebus festis celebrantur, non tamen proprio ullo festo celebratur Verbum secundum divinam tantum naturam: atque ipsa etiam Pentecostes sollemnia non ideo inducta antiquitus sunt, ut Spiritus S. per se simpliciter honoraretur, sed ut ejusdem recoleretur adventus sive externa missio. Quae quidem omnia sapienti consilio sancita sunt, ne quis forte a distinguendis personis ad divinam essentiam distinguendam prolaberetur". Leo XIII, Enc. *Divinum illud munus*, 9 Maji 1897.

vel praecisum a divinitate [1]. Et similiter *specialis manifestatio* divinae potentiae, quae v. g. cernitur in resurrectione, *specialis relucentia* divini amoris, quae deprehenditur in ss. Corde, sunt quidem rationes ob quas resurrectioni et ss. Cordi *peculiaris* cultus impenditur, sed motivum ultimum et intrinsecum, a quo cultus ille suam speciem induit, semper est excellentia increata seu divinitas.

Facile inferes, non singulis partibus humanitatis Christi, quamvis omnes aeque adorabiles sint, deferri posse cultum *specialem*, non enim in omnibus dominici corporis membris peculiari modo elucent perfectiones divinae. Dijudicare autem, num adsit ratio sufficiens ad aliquod membrum aut mysterium Christi speciali cultu, praesertim publice, prosequendum ; item num attentis etiam locorum ac temporum adjunctis, conveniens sit talem devotionem propagare, auctoritatis ecclesiasticae est. Et ita v. g. s. Congreg. Inquisitionis prohibuit „omnia scripta sive typis edita, sive non, in quibus speciales formulae novae devotionis, etiam sub praetextu quod sint privatae, erga ss. Manus D. N. J. C. quomodolibet proponantur et propagentur" [2].

97 2° Prae ceteris omnibus devotissime colitur *ss. Cor Jesu*, cultu latriae absoluto [3].

Objectum devotionis (proximum scil.) est *Cor Christi physicum* vivum et animatum, quod etiam nunc in glorioso Christi corpore palpitat, neque nude quatenus est pars quaedam nobilissima illius corporis, sed praecipue *ut est symbolum infiniti amoris* Christi. Colitur ergo neque solum cor physicum,

---

[1] Cfr. Denz. n° 1563. — [2] Decr. 6 Febr. 1896; cfr. *Civiltà*, S. XVI, t. 6, p. 485. — [3] Cfr. N. Nilles, *De rationibus festorum s. Cordis Jesu*, cet. 2 vol. Ed. 5, 1885; H. J. Nix, *Cultus s. Cordis Jesu sacerdotibus cet. propositus*, Ed. 2. 1891; L. Leroy, *De s. Corde Jesu*, 1882; J. Jungmann, *Die Andacht zum H. Herzen Jesu*, cet. Ed. 2, 1885; J. Bucceroni, *Comment. de s. Corde Jesu*, cet. Ed. 4, Romae, 1896. J. B. Terrien, *La dévotion au sacré Coeur de Jesus*, Paris; J. Bainvel, *La dévotion au sacré Coeur, doctrine-histoire*, Ed. 6, 1921; A. Vermeersch, *Pratique et doctrine de la dévotion au Sacré Coeur*. 2 Tom. 1922, Ed. 6; L. Garriguet, *Le Sacré-Coeur de Jesus, Exposé historique et dogmatique de la dévotion*. Paris. 1920.

neque solus amor Christi, sed utrumque simul: *Cor physicum amoris symbolum*, a. v. Cor Jesu charitatis igne flagrans [1].

Hinc simul patet, quae sit *ratio specialis*, ob quam Cor Jesu peculiariter venerari conveniat: quia scil. prae omnibus aliis dominici corporis partibus *immensum Christi amorem insigniter manifestat*. Sane ubique terrarum cor habetur ut *symbolum* notissimum et usitatissimum amoris, ita ut quoties charitas aliquo sensibili signo depingenda aut repraesentanda sit, vix non semper cor eligatur, ipsumque vocabulum cordis saepissime per metaphoram ad significandam charitatem adhibeatur, secundum illud: „Praebe, fili mi, cor tuum mihi" [2]. Neque haec arbitrarie fiunt, ut ipsa universalitas usus ostendit, sed *fundantur* in eo, quod amor ceterique affectus (qui omnes in amore radicantur [3]), in

[1] Probatur ex *Actis ecclesiasticis*, e. g. Pius VI: „Sancta haec sedes satis declaravit, quo substantia illius devotionis revera spectet, ut symbolica cordis imagine immensam caritatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur". *Ep. ad Scip. de Ricciis*, 29 Junii 1781). Pius IX: „Significatum est a Christo Domino [B. Margaritae], gratissimum sibi fore, si cultus institueretur sacratissimi sui Cordis humanum erga genus charitatis igne flagrantis". *(Litt. Beatif. b. Margaritae*, 19 Aug. 1864). *Officium ss. Cordis:* „Quam caritatem Christi patientis et pro generis humani redemptione morientis, atque in suae mortis commemorationem instituentis sacramentum corporis et sanguinis sui, ut fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devotius ac ferventius recolant ejusque fructus uberius percipiant, Clemens XIII p. m. ejusdem ss. Cordis festum quibusdam petentibus ecclesiis celebrari permisit [a° 1765], Pius IX ad universam ecclesiam extendit [a° 1856]". (Lect. VI) Et: „Te [sc. Cor] vulneratum caritas ictu patenti voluit, amoris invisibilis ut veneremur vulnera" (Hymn. ad Laud.). — Ceterum objectum *integrum* cultus semper est totus Christus amans nos, amore etiam compassivo. Cfr. *Theol. prakt. Quartis.* (Linz) 1920, p. 330 et 514. — [2] *Prov.* 23, 26. — [3] S. Thom.: „Cum ad voluntatem plures actus pertinere videantur, ut desiderare, delectari, odire et hujusmodi, omnium tamen amor et unum principium et communis radix inveniturOmnis inclinatio voluntatis et etiam appetitus sensibilis ex amore originem habet. Ex hoc enim quod aliquid amamus, desideramus illud si absit, gaudemus autem quum adest, et tristamur quum ab eo impedimur, et odimus quae nos ab amato impediunt, et irascimur contra ea". *S. c. G.* IV, 19.

motum cordis multum redundant. Quis enim nescit, cordis motum amore et gaudio incitari, dolore ac timore retardari, secundum illud S. THOMAE: „In omni passione animae additur aliquid vel diminuitur a naturali motu cordis, in quantum cor intensius vel remissius movetur secundum systolen vel diastolen" [1].

98 *Quanti aestimandus* sit cultus ss. Cordis, inde apparet, quod in eo veneramur ineffabilem Christi amorem, tum divinum [2], tum humanum, *fontem omnium beneficiorum*, quae benignissimus Redemptor in nos effudit et quorum culmen est sacrificium crucis, in s. Eucharistia continuatum ac perpetuatum [3]. Atque haec effusio omnium donorum redemptionis ex amantissimo Christi corde mystice significatur in eo, quod ex aperto in cruce Salvatoris latere scaturiere sanguis et aqua, symbola sacramentorum (baptismi et Eucharistiae),

---

[1] *S. Th.* I, II, 24, 2, ad 2. — Vides cultum ss. Cordis minime pendere a quaestione physiologica, num cor sit verum organum affectionum sensitivarum. Antiquiores physiologi putabant, cor esse organum eliciens affectuum sensibilium, ita ut anima per cor sensibiliter amaret ac doleret, sicut v. g. per oculum videt; recentiores vero docent, veram sedem seu organum eliciens illorum affectuum esse cerebrum. Habeant sibi. Certum est apud omnes, prae ceteris corporalibus organis cor motu suo *ad omnes affectus animi reagere*, cordisque immutationem variis affectibus, vehementioribus saltem, correspondentem, a nobis *facilius experiri*. Hinc cor ab omnibus, qui non praecise physiologum agere intendunt, sedes affectuum vocari solet, et merito quidem, licet enim non sit organum in sensu stricto, organum eliciens, vere est *organum manifestativum* affectuum nostrorum. Cfr. Handmann, *Der Symbolismus des Herzens*, in *Nat. u. Offenb.* 1903, p. 481. Et annotari meretur, tempore Benedicti XIII, postulatores festi in honorem ss. Cordis, ideo causa cecidisse, quia nimium nitebantur opinione scientifice dubia de corde comprincipio sensibilium affectionum. Cfr. Bened. XIV, *De Canon. SS.* l. IV, p. 2, c. 31, n° 25. — [2] Censemus enim in ss. Corde coli non tantum amorem creatum Jesu hominis, sed etiam amorem increatum Verbi. Cfr. *Rev. des sciences phil. et théol.* 1907, p. 796. — [3] Hinc canitur: „Hoc sub amoris symbolo passus *cruenta et mystica*, utrumque sacrificium Christus sacerdos obtulit" (*Offi. eccl.* Hymn. ad Laud).

per quae in finem usque saeculorum formatur atque perficitur sponsa Christi ecclesia. Et hoc sensu ecclesia dicitur profluxisse ex latere novi Adae dormientis in cruce, sicut olim ex latere primi Adae dormientis conjux ejus Heva prolata fuit [1].

Historiam quod attinet duo constant: **a.** numquam defuisse, 99
qui divinissimum Christi amorem in ejus corde demonstratum colerent, pluresque viros ac feminas sanctitate conspicuos cultum hunc specialiter fovisse [2]; — **b.** cultum *publicum* et *solemnem* originem suam debere revelationibus b. Margaritae Mariae Alacoque († 1690) datis. Quod tamen rite intellegas. Licet enim illae revelationes privatae attentionem praesulum ecclesiae in rem nostram speciali modo traxerint, et ita per modum causae occasionalis et impellentis multum contulerint ad propagationem et publicam institutionem hujus devotionis, sola revelatio christiana est verum *fundamentum theologicum* cultus ss. Cordis, quippe qui independenter omnino a revelationibus b. Margaritae fidei consonus et conveniens esse probatur.

Nec est quod *novitatem* hujus devotionis quis exprobret, nam **a.** absolute et in omni sensu nova non est; deinde **b.** quid mirum si antiquae fidei et pietatis christianae arbor novos (quoad modum ac formam) devotionum fructus emittat? Sane si ipsa doctrina fidei decursu saeculorum distinctius ab ecclesia cognoscitur, quid obstat, quominus eadem ecclesia inexhaustas divini amoris divitias explicitius in dies colendas, admirandas, imitandas proponat? Et congrue omnino factum est, ut saeculo frigido nimium et ad exteriora effuso, exhiberetur adorandum simul et imitandum ss. Cor Jesu charitatis igne flagrans!

Scholion 3. *Num Christus-homo etiam inferiori cultu* 100
honorari possit? — Hucusque doctrina catholica de adoratione

[1] Cfr. *Brev. Rom.* in festo *pret. Sanguinis*, Lect. 2 et 3 noct. — [2] Cfr. Nilles, *De rationibus*, cet. P. III, cp. 1—3; *Ned. kath. St.* 1924, p. 163.

latreutica toti Christo debita; restat ut paucis indicemus quaestionem inter theologos disputatam, num scil. Christo-homini *insuper* deferri possit cultus hyperduliae propter ejus gratiam et dona creata? Praeplacet sententia negativa. Videtur enim a. *Superfluum*, nam honor inferior, ad quem de se movet excellentia creata humanitatis Christi, jam eminentiori modo continetur in cultu latreutico. — b. *Injuriosum* Christo. Quum enim omnis cultus totam rem subsistentem afficiat, dulia ista ipsi Verbo incarnato exhiberetur, sed exhibitio inferioris honoris importare videtur negationem superioris. Ceterum omnes concedunt, ecclesiam hunc inferiorem cultum Christo numquam detulisse, quod certe non levem praesumptionem contra sententiam affirmantem ingerit. — Quidquid est, nihil prohibet perfectiones creatas Christi laudare et admirari.

CAPUT III

De excellentiis et infirmitatibus humanitatis assumptae

101 Fuerunt in Christo duae naturae inconfusae et impermixtae, hypostatice unitae.

Natura divina, utpote per omnia immutabilis, ex hac unione nullam jacturam subire potuit; unde non solum falsa sed etiam absurda est theoria quorumdam protestantium, quae vocatur kenotica. Docent siquidem *Kenotici*, Verbum Patris ita seipsum „exinanivisse", ita „egenum" factum esse [1], ut ad tempus divinitatem deposuerit, divinas perfectiones, omnipotentiam praesertim et omniscientiam, exuerit, saltem earum exercitium suspenderit [2]. Hinc etiam conscientiam suae divinitatis ante resurrectionem aut numquam aut non semper habuisset. Quae omnia, quum intrinsece repugnent, specialem refutationem non merentur [3].

[1] Cfr. *Phil.* 2, 7; *II Cor.* 8, 9. — Nomen *Κένωσις* desumptum est a verbo *ἐκένωσεν* (exinanivit). — [2] Cfr. G. L. Bauer, *Die Neuere Protestantische Kenosislehre*, 1917. — [3] Etiam suspensio exercitii divinarum

Natura humana ex propinquitate divinitatis non parum in seipsa nobilitate, imo maximis charismatibus exornata est, admirabili scil. *scientia*, *sanctitate* et *potentia*. Nihilominus finis incarnationis, opus redemptionis nostrae, impediebat, quominus Verbum humanitatem assumptam liberaret ab iis *infirmitatibus*, quae naturam nostram universaliter consequuntur. Dicemus itaque in tribus prioribus art. de excellentiis, in quarto de infirmitatibus humanae naturae in Christo.

Praenotandum. In quaestione de dotibus a divinitate in **102** humanitatem conjunctam fluentibus imprimis quaerendum est, quid Scriptura disertis verbis doceat; attamen hic sistendum non est; pensanda etiam sunt quae revelatio docet de muneribus Christi-hominis, necnon ea quae de ejusdem excellentia universaliter affirmantur, ut v.g. quando dicitur „plenus gratiae et veritatis", „in omnibus primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare" [1]; cet. Ex his principiis revelatis, non e nuda convenientia unionem hypostaticam consequente, Patres et theologi intulerunt, humanae naturae Salvatoris nullum denegatum fuisse charisma, quod oeconomia redemptionis non excluderet. Facile intelleges, doctrinas huc pertinentes, quatenus explicito Scripturarum testimonio non probantur, haud omnes aequalis esse certitudinis. Dogmatibus fidei aut veritatibus catholicis stricte dictis accensendae non sunt, quamdiu sensus magisterii manifestus non est; contra non leviter, i.e. non sine peculiaribus rationibus relinquenda est sententia communis aut fere communis Doctorum. Qua in re non semper a nota temeritatis eximit exemplum unius aut paucorum e vetustis Patribus, qui de quaestione subtiliori, vix adhuc discussa et nondum eliquata, forte minus accurate locuti sunt.

---

perfectionum implicat, quia Deus est actus purissimus, in quo nulla admitti potest differentia inter potentiam et actum. Carere autem conscientia suae divinitatis, i.e. actu non cognoscere naturam suam, suspensionem divinae intellectionis importat. — [1] *Jo.* 1, 14; *Colos.* 1, 18—19.

Art. I

DE SCIENTIA CHRISTI HOMINIS [1]

103 Scire, sicut omne operari, sequitur naturam ; quum igitur in Christo sint duae naturae integrae et duae operationes, duplex in eo scientia admitti debet, divina et humana. Scientia divina infinita est ; scientia humana, ea scil. quam habuit anima humana, intellectus humanus Christi infinita esse non potuit ; ceterum quaeritur de ejus perfectione, tum quoad *extensionem*, tum quoad *modum* seu qualitatem. Agimus autem de scientia Christi, vitam mortalem in terris adhuc ducentis.

104 PROP. **In intellectu humano Christi tanta fuit scientia, ut nihil ignoraverit ex iis, quae ratione dignitatis et muneris sui ad eum pertinebant.**

Christum nonnulla ignorasse tum Ariani, tum saec. VI *Agnoetae* (vel Agnoitae) docuerunt. Positio Agnoetarum a Patribus habetur erronea, imo haeretica, sed non ita liquet, quid praecise docuerint. Alii, supponendo omnes Agnoetas fuisse monophysitas, tradunt, eos ideo damnatos fuisse, quia ponebant, Christum simpliciter dictum, Christum *secundum totum quod est*, quaedam ignorasse ; quod certe haereticum est [2]. Alii tamen ponunt, haud omnes Agnoetas fuisse veros monophysitas, sed plures eorum duas in Christo admisisse naturas, etsi de earum unione minus recte sentirent. Addunt, saltem nonnullos Agnoetas docuisse, Christum ut Deum omnia novisse, sed secundum humanitatem plura ignorasse. Inferunt censuram erroris, a pluribus patribus agnoetis

[1] Cfr. Decretum *Lamentabili*, prop. 32—35 ; s. Thom. *S. Th.* III, 9, 12 ; 15, 3 ; Kirschkamp, *Das menschl. Wissen Christi* (1873). — [2] Cfr. Fr. Schmid, *Die Lehre der Agnoëten u. ihre Verurtheilung*, in *Zeits. f. kath. Theol.* 1895. p. 651.

inflictam, reapse cadere in doctrinam, quae ignorantiam admittit in intellectu Christi hominis [1].

Missa igitur quaestione, quamnam censuram doctrina opposita mereatur, certum est, in humano intellectu Salvatoris, pro quolibet vitae mortalis stadio, admitti non posse neque *errorem*, neque *ignorantiam* proprie dictam seu *privativam*, i.e. nescientiam earum rerum, quas ratione dignitatis et muneris sui scire debebat. Quia autem Christus homo erat primogenitus in multis fratribus, mediator novi et perfecti foederis, caput hominum et angelorum, scientia ejus latissime patere debuit. Theologi recte concludere solent, ipsum cognovisse omnia, quae sub aliqua differentia temporis fiunt: praesentia, praeterita, futura. — Inferes, intolerabilem esse positionem A. Loisy [2] asserentis, Christum (hominem) filiationem suam divinam, et plura quae ad missionem et opus suum pertinebant diu nescivisse, imo eum in hujusmodi rebus nonnumquam errasse.

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura*. Christus homo exhibetur ut **105**
„plenus gratiae et veritatis" [3]; ut cognoscens secreta cordium: „Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine" [4]; exhibetur ut cognoscens longinqua: „Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu vidi te" [5]; et: „Lazarus mortuus est" [6]; exhibetur denique ut „sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus" [7], quocirca S. GREG. M. observat: „Quis ita stultus est ut dicat, quia accepit Filius in manibus quod nescit" [8].—

[1] Cfr. J. Maric, *De Agnoetarum doctrina. Argumentum patristicum pro omniscientia Christi hominis relativa.* Zagabriae 1914; E. Schulte, *Die Entwicklung der Lehre vom menschlichen Wissen Christi bis zum Beginn der Scholastik.* (Forschungen XII, 2). Paderbornae, 1914. — [2] In opere *L'Évangile et l'Église*, 1902. — [3] *Jo.* **1**, 14. — [4] *Jo.* **2**, 24—25; cfr. **1**, 47; **6**, 71. — [5] *Jo.* **1**, 48. — [6] *Jo.* **11**, 14; cfr. *Jo.* **4**, 17—19; *Mc.* **14**, 13—15; *Mt.* **21**, 2—3. — [7] *Jo.* **13**, 3. — [8] *Epp.* l. 10, ep. 39 *ad. Eulog.*

Textus autem allati omnino intellegendi videntur de scientia humana. Plenitudo „*gratiae* et veritatis" de Verbo qua tali praedicari vix potest Alii loci rationem reddunt, quare Christus homo determinato modo se gesserit; atqui scientia quae humanam Christi operationem regebat, non est scientia divina sed humana.

Ceterum iam Isaias vaticinatus erat de Messia: „Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii, . . . spiritus scientiae" [1]. — Animam Christi statim a suo exordio ét usum rationis habuisse ét res altissimas cognovisse, patet ex *Ep. ad Hebr.*: „Ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, . . . tunc dixi: ecce venio" [2], cet.

106 2° Ex *ss. Patribus.* S. HIERONYMUS: „Districta responsio est: Nullum hominem, exepto eo, qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuisse scientiam et certissimam veritatem" [3]. — S. AUGUSTINUS: „Ignorantiam [puerulis connaturalem] nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis" [4]. — Et alibi: Christus „nihil ignoravit . . Ipse solus in carne . . nec linteis implicatus [fuit], ut eum aliquid lateret" [5]. — LEPORIUS: „Dici non licet, etiam secundum hominem ignorare dominum prophetarum" [6]. — EULOGIUS ALEX.: „Neque enim humanitas Christi, in unam inaccessibilis et substantialis sapientiae hypostasim admissa, quidquid ut rerum praesentium ita futurarum potuit ignorare . . . Quicumque enim vel divinitati ipsius, vel humanitati ignorantiam adscribet, numquam certissimae temeritatis crimen effugiet" [7]. — S. SOPHRONIUS HIEROSOL. Themistium agnoetarum patrem acriter carpit, quia „ignorare Christum, non secundum id quod Deus erat sempiternus, sed secundum quod veraciter homo factus,

[1] *Is*, 11, 2. — [2] *Hebr.* 10, 5; seq. — [3] *Ep. 36 ad Damas.* 15. — [4] *De pecc. merit.* II, 29, 48. — [5] *De 83 Quaest.*, qu. 65. — [6] In *Libell. emendat.* Migne, *P. L.* 31, p. 1229. — [7] Apud Photius, *Biblioth. Cod.* CCXXX (Ed. Stephani, a. 1611, p. 882—3).

diem consummationis atque judicii ex insipientia mentis eructaverat" [1]. — S. JOES DAMASC.: „Ob personae identitatem atque indivulsam unionem, Domini anima futurorum cognitione ut et reliquis mirabilibus locupletata est". — Mox verum sapientiae profectum in Christo excludit dicendo: „Si caro a primo statim ortu vere Deo unita est, imo potius in ipso exstitit, et identitatem secundum hypostasim cum eo habuit, qui fieri potuit, ut non omnibus prorsus sapientiae gratiaeque dotibus affluxerit" [2].

Difficultates. Objicitur **a.** Christum saepe homines interro- **107**
gasse, v. g. ubi Lazarus positus esset, quid homines de ipso sentirent, quot panes haberent [3], cet.; atqui interrogare ignorantis est. — **b.** Christum confessum esse, se nescire diem judicii: „De die illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater" [4]. — **c.** Christum diem judicii ut valde propinquum indicasse dicendo: „Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo" [5]; „Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis" [6].

Resp. Ad **a.** — „Necesse non est eum, qui interrogat, **108**
ignorare de quibus interrogat, verum licet etiam scientem de his quae cognoscit sciscitari" [7]. Christus seipsum in multis hominibus accommodabat, ut humano modo cum hominibus conversaretur.

Ab **b.** — Aliquot Patres antiquiores admiserunt, Christum hominem diem judicii revera ignorasse, quibus consentiebant pauci quidam moderni, addendo, nescientiam ultimi diei pro Christo, vitam mortalem adhuc ducente, non fuisse ignorantiam

---

[1] *Ep. Synodic.* Migne. *P. G.* **87.** (p. 3), p. 3191. — [2] *De Fid. orthod.* III, **21**, 96 et **22**, 98. — [3] *Jo.* **11, 34**; *Mt.* **16**, 13; *Mc.* **6**, 38. — [4] *Mc.* **13**, 32. Etiam *Mt.* **24, 36** multi codices et versiones addunt: *οὐδὲ ὁ υἱός*. — [5] *Mt.* **16**, 28; cfr. *Mc.* **8**, 39; *Luc.* **9**, 27. — [6] *Mt.* **10**, 23 — [7] S. Athanas. *Or. 3 c. Arian.* n⁰. 37.

privativam. Ponunt siquidem Christum ante resurrectionem nondum constitutum fuisse in munere judicis, unde tunc ad ipsum nondum pertinebat scire diem judicii [1]. — Contra sententia sequiorum Patrum, quam theologi communiter sequuntur, habet, Christum hominem diem judicii non ignorasse, sed verba „neque Filius" intellegenda esse de scientia communicabili, secundum illud: „Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate" [2]. Igitur: „quia hoc utiliter occultabat discipulis, nescientem se esse dixit" [3]. Aliqui addunt, Christum diem judicii „in natura quidem humanitatis" cognovisse, sed „non ex natura humanitatis", i. e. non scientia humano modo comparata [4]. — Quantum ad verba antiquiorum Patrum, de quibus supra, responderi solet, eos, agendo contra Arianos, veram divinitatem Christi, divinamque ejus omniscientiam praecipue curasse, ac proinde quaestiones subtiliores et nondum discussas de perfectione accidentali humanitatis facilius dimisisse [5].

Ad c. — Si Christus reapse docuisset, supremum diem jamjam instare, non solum aliquid nescivisset, sed positive errasset ac fefellisset; quod nemo christianus admittere potest. Ceterum conferantur ea, quae diximus in *Ap. II* ad tract. *De vera Religione* (Ed. 4a).

109 **Scholion.** *De triplici modo cognitionis Christi hominis.* — Intellectus Christi non solum nihil ignoravit, sed insuper habuit omnes modos aliquid sciendi, quorum mens humana capax est, et ex hoc capite distinguitur in Christo *scientia visionis beatificae, scientia infusa, scientia acquisita.*

I. Scientia visionis beatificae [6] est ille modus cognoscendi,

---

[1] Haec sententia post Decretum S. Officii (cfr. infra) a theologo catholico tuto doceri nequit. — [2] *Act.* 1, 7. — [3] S. August. *De Gen. c. Manich.* I, 22, 34. — [4] S. Greg. M. *Epp.* 1. 10, *ep.* 39 *ad Eulog.* [5] Cfr. Petavius, *De Incarn.* 1. XI, c, 1, n° 5 seq.; Stentrup, *De Verbo incarn.* thes. 73; *Rev. Thomiste* t. XII, (1904), p. 12 seq. — [6] Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, 9, 2 et 10.

quo anima immediate intuetur ipsam divinam essentiam, atque in ea contemplatur alias res.

Animam Christi jam ante passionem, imo statim a sua creatione visione beatifica fruitam esse, theologi inde a saec. XIII *communissime* tradunt, non quidem ut dogma fidei, sed ut certam veritatem [1].

Doctrina haec nititur: a. *s. Scripturae*: „Quod scimus loquimur et quod vidimus testamur ... Qui de coelo venit super omnes est, et quod vidit et audivit hoc testatur" [2] — „Ego quod vidi apud Patrem meum loquor" [3]. — Unde sic. Quae Christus ut homo praedicabat, ea ut homo sciebat: cognitio autem, ex qua praedicatio Christi de divinis procedebat, erat cognitio immediata: visio, auditio; ergo Christus ut homo Deum immediate cognovit. — Argumentum probabile praebent verba Christi: „Nemo ascendit *[ἀναβέβηκεν]* in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo" [4]. Ergo Christus jam tunc in coelum ascenderat, n. p. secundum animam per visionem beatam. — b. *S. Patribus*. S. Augustinus rem nostram sat aperte docet, scribendo, hoc interesse inter „hominem, quem Dei Sapientia gestabat" et alios homines, quod reliqui utut regenerati ante resolutio-

[1] De hac scientia *Congr. s. Officii* die 5 Jun. 1918 divulgavit *Decretum* hujus tenoris. — Proposito dubio: Utrum tuto doceri possint sequentes propositiones: 1° non constat fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam, quam habent beati seu comprehensores; 2° nec *certa* dici potest sententia quae statuit animam Christi nihil ignoravisse, sed ab initio cognovisse in Verbo *omnia* praeterita, praesentia et futura, seu omnia quae Deus scit scientia visionis; 3° placitum quorundam recentiorum animae Christi *limitata* non est minus recipiendum in scholis catholicis, quam veterum sententia de scientia *universali*; — Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores, praehabito voto D.D. Consultorum, respondendum decreverunt: *negative*. Sanctitas sua resolutionem Emorum P. P. approbavit, confirmavit et publicari mandavit. *Acta Apost. Sedis*, T. X (1918), p. 282. Cfr. O. Graber, *Die Gottschauung Christi im irdischen Leben und ihre Bestreitung*, 1920; V. Kwiatkowski, *De scientia beata in anima Christi*, 1921; *Ned. Kath. St.* 1924, pag. 299. — [2] *Jo.* 3. 11, 31—32. — [3] *Jo.* 8, 38. — [4] *Jo.* 3, 13.

nem corporis Deum facie ad faciem non videant [1]. Apertius adhuc s. Fulgentius loquitur [2]. — **c.** *Rationibus theologicis.* Decebat siquidem ut illa natura, quae secundum esse Deo propinquissime conjungebatur, eum etiam per cognitionem propinquissime attingeret; quomodo enim ille homo, quem Dei Sapientia gestabat secundum esse, exsul et peregrinus [3] fuisset a Deo secundum cognitionem. Decebat ut excellentissimus testis divinae veritatis, de visu testificaret; ut perfectissimus dux ad beatitudinem, perfecte cognosceret terminum, ad quem alios ducebat. Decebat ut qui constitutus erat caput etiam angelorum, non careret dono quo angeli jam fruebantur.

110 *Corollarium.* Theologi insuper docent: **a.** Animam Christi *statim ab initio suae exsistentiae* visionem beatificam habuisse; organa corporis ad hanc visionem nihil conferunt; rationes pro quolibet stadio vitae Salvatoris militant. — **b.** Visionem statim ab initio fuisse ita *perfectam*, ut in praesenti ordine nulla detur vel dari possit perfectior. Nihilominus anima Christi divinitatem non comprehendebat, proinde nec omnia possibilia in ea videbat; videbat tamen omnia quae sunt vel fuerunt, vel erunt, vel facta vel dicta vel cogitata a quocumque: nam haec omnia ad Christum hominem, omnium caput ac judicem, spectabant [4]. — Sequitur: **c.** Christum in terra degentem *simul fuisse comprehensorem* (beatitudinis) *et viatorem* (ad beatitudinem). Comprehensor quidem, quia anima ejus essentiali beatitudinis bono, visione Dei, jam fruebatur; viator vero, quia adhuc tendebat ad bona secundaria: gloriam corporis et exclusionem omnis tristitiae [5]. Qua ratione autem haec duo componuntur, infra explicare conabimur.

[1] *De 83 Quaest.* qu. 65 et *In Ps. 15*, n° 5 et 8 (cfr. *Rech. de sc. relig.* 1922, p. 85). — [2] *Ep. 14 ad Ferrand.* n° 25 seq. S. Fulgentius vix non modum excedit, tribuendo animae Christi non solum visionem sed etiam comprehensionem Deitatis; cfr. Janssens, *Summ. Theol.* IV, p. 437. — De aliis textibus quorundam Patrum disputatur: cfr. *Rev. des sc. phil. et théol.* 1921, p. 551; *Rech. de sc. relig.* 1925, p. 54. — [3] *II Cor.* 5, 6—8. — [4] *Eph.* 1, 10; *Coloss.* 1, 20; *Heb.* 1, 46. — [5] Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, 15, 10.

II. **Scientia infusa** [1] illa est, qua anima cognoscit ope specierum a Deo immediate inditarum ad modum cognitionis angelicae. Loquimur siquidem de scientia per se infusa [2]. **111**

Scientiam infusam eamque perfectissimam a primo instanti animae Christi datam fuisse, theologi *communius* docent, hac praesertim ratione ducti, quod humanae naturae Salvatoris tribuenda est omnis perfectio, alicui creaturae concessa, dummodo non obstet fini incarnationis. Atqui angeli in sua creatione acceperunt species impressas omnium cognoscibilium (et hujusmodi modus cognoscendi animae humanae non est incompossibilis, ut patet ex animabus separatis). Ergo anima Christi in sua origine tales species inditas accepit, utique humanae menti proportionatas.

Nec dicas scientiam infusam (cujus objectum ex communiori sententia coincidit cum objecto secundario visionis beatificae: omnia creata, quae sunt vel fuerunt vel erunt, naturalia et supernaturalia, quatenus ad Christum ejusque oeconomiam pertinent), fuisse superfluam, nam etiam in angelis duplex earumdem rerum cognitio ponitur: matutina, qua vident res in Verbo (visione beatifica), et vespertina, per quam cognoscunt res in propria natura per species inditas.

Ceterum quae de scientia infusa obiter diximus, a theologis proponuntur non ut doctrina revelata, sed ut conclusio ex dignitate, quam humana natura Christi vi unionis hypostaticae habet. Praeterea etsi omnes ferme theologi scientiam infusam in Christo admittant, circa ejus modum et ambitum non conveniunt. Neque dissentimus a cl. G. M. JANSEN, aliisque dicentibus, temeritatis accusari non debere, qui, admissa visione beatifica, de scientia infusa Christi dubitaret [3].

---

[1] Cfr. *S. Th.* III, 9, 3 et 11. — [2] Scientia *per se infusa* est alterius speciei ac scientia acquisita, cum scientia *per accidens infusa* ejusdem naturae sit ac acquisita, licet alio modo, n. p. supernaturali, accipiatur. — [3] *Prael. Theol. Dogm.* II, p. 677.

112 III. **Scientia acquisita** [1] ea est, qua res cognoscuntur ope specierum per intellectum agentem a phantasmatibus abstractarum; est igitur modus cognoscendi hominibus connaturalis. Quia tota innititur sensuum experientiae, a nonnullis vocatur scientia experimentalis.

In Christo homine fuisse scientiam naturali modo acquisitam probatur: **a.** ex *s. Scriptura*: „Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex iis quae passus est obedientiam" [2]. — **b.** Ex *ratione*. Fuit in Christo sicut in quolibet homine intellectus agens, i. e. facultas efformandi species intellegibiles, qui frustra esse non potuit. Fuisset frustra, si propriam operationem non habuisset. Propria autem operatio intellectus agentis est facere species intellegibiles actu, abstrahendo eas a phantasmatibus [3]. Ergo. — Ceterum nescio, num ex recentioribus theologis aliquis scientiam propriis actibus acquisitam Christo denegaverit.

113 *Corollarium*. 1. — Scientiam hanc, hominibus connaturalem, Christus non totam simul sed *successive* acquisivit, nam primo evolutio organorum corporalium etiam in Domino nostro paulatim obtinuit, deinde intellectus Christi, etiam post perfectam organorum evolutionem, ex novis sensuum perceptionibus, novas ideas haurire non desinebat. Fuit nihilominus in Christo, post sufficientem organorum dispositionem, qualibet aetate scientia acquisita *perfecta*, hoc sensu, quod per eam semper cognoverit omnia, quae ipsum secundum tempus et locum scire decebat. Adde mentem Christi, praestantissima acie pollentem, ex sensibilibus, quae experiebatur, omnem deduxisse scientiam, quae ex iis per intellectum agentem hauriri poterat. Haec breviter dicta sint ex sententia, quam veriorem putamus.

2. — Ex dictis facile explicantur verba: „Jesus proficiebat sapientia et aetate" [4]. Proficiebat siquidem non ita, ut aliquid scire inceperit, quod antea nullo modo sciebat; sed hoc sensu.

[1] Cfr. *S. Th.* III, 9, 4 et 12; cfr. *Rech. de sc. relig.*, 1920, p. 1 sequ.; *The Irish theolog. Quaterly*, 1920, p. 113 sequ. — [2] *Hebr.* 5, 8. — [3] *S. Th.* III, 9, 4 c. — [4] *Luc.* 2, 52.

quod ex iis quae per scientiam visionis et scientiam infusam ab initio cognoscebat, nonnulla et successive plura apprehenderit etiam per scientiam acquisitam. Fuit itaque in eo *verus profectus* internus, sed secundum scientiam acquisitam tantum. Praeterea verum est, quod sapientiam, quam per visionem et species inditas ab initio habuit perfectissimam, secundum progressum aetatis uberius ad extra *manifestavit*

Art. II

DE SANCTITATE CHRISTI HOMINIS

Sanctitas duo importat: immunitatem ab inquinantibus, praesertim a peccato, et amicabilem conjunctionem cum Deo, cujus causa formalis in nobis est gratia cum donis annexis. Dicendum igitur est de *gratia* et de *impeccantia* Christi, quibus pauca subjungemus de *libertate* Christi.

§ 1. De Gratia Christi

I. **Gratia unionis**. Humana natura Christi, secundum communiorem doctrinam, formaliter i. e. actu (et non radicaliter tantum) sanctificata fuit per *gratiam unionis*, i. e. per ipsam suam unionem ad Verbum. Unio haec merito vocatur gratia, est enim beneficium omnium maximum, nulla ratione promeritum. Actu sanctificabat naturam assumptam, quia eam modo excellentissimo Deo conjungebat. Deo gratam reddebat et vel ipsam possibilitatem peccandi ab ea removebat. **114**

Sanctificationem hanc soli Salvatori propriam Patres nonnumquam unctionem vocant, atque ex ea intimam rationem nominis *Christi* repetunt: S. GREG. NAZIAN.: „Christus [dicitur] propter divinitatem, haec enim humanitatis unctio est, sanctificans non operatione ut in aliis christis, sed totius

ungentis praesentia" [1]. S. JOES DAMASC.: „Unctio porro humanitatis est divinitas" [2].

Haec de illa Christi hominis sanctitate, quae quum non per donum creatum, per accidens inhaerens, sed formaliter per ipsam divinitatem unitam confertur sanctitas *increata* et *substantialis* vocatur.

115 II. **Gratia creata** [3]. Communis et certa sententia est, animam Christi etiam ornatam fuisse *gratia habituali* creata, illa scil. qualitate infusa, qua creaturae rationales supernaturalem cum Deo similitudinem acquirunt et filii Dei adoptivi constituuntur. Gratiam sanctificantem in Christo, sicut in nobis, comitabantur habitus operativi: *virtutes* et *dona* Spiritus Sancti [4].

Exsistentia gratiae cum virtutibus ac donis in Christo probatur: 1⁰ ex s. *Scriptura*: „Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis" [5]. — „Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini" [6]. — 2⁰ *Ratione theologica*. Anima Christi, etsi per unionem hypostaticam sanctificata fuerit, summamque dignitatem moralem obtinuerit, non fuit per illam mutata quantum ad esse essentiae, sed mansit cum solis perfectionibus ipsi connaturalibus. Igitur vi solius unionis hypostaticae, neque habuit illam supernaturalem conformitatem cum Deo, quae est effectus formalis gratiae sanctificantis, neque facta est principium quo completum actionum supernaturalium. Ab alia parte ipsa

---

[1] *Orat.* 30, n⁰ 21. — [2] *De Fid. orth.* III, 3, 5; cfr. Origenes, *De princ.* II. 6, 6, — [3] Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, 7. — [4] In quantum scil. componi possunt cum visione beatifica et unione hypostatica. Hinc non fuit in Christo *fides*, nec *spes theologica*, neque etiam *poenitentia* stricte dicta: dolor de peccatis propriis. Hinc *S. Cong. Inquis.* 15 Julii 1893 proscripsit titulum: „Cor Jesu poenitens". *(Acta S. Sedis*, 1894, p. 319). — [5] *Jo.* 1, 14. — [6] *Is.* 11, 2—3.

unio hypostatica ei erat titulus validissimus habendi hanc perfectionem supernaturalem tum quantum ad esse (per gratiam sanctificantem), tum quantum ad operari (per virtutes et dona). Necesse igitur fuit ei infundi gratiam habitualem cum virtutibus et donis. — Nec putes, Christum hominem, si in illo ponatur gratia creata, etiam dicendum esse filium Dei adoptivum, nam titulus filii adoptivi, qui non est nisi denominatio resultans ex formali effectu gratiae sanctificantis, in solis personis extraneis cadere potest.

Mensuram quod attinet, theologi cum s. Thoma docent, **116** animam Christi *statim a sua creatione* habuisse gratiae *plenitudinem absolutam*, i. e. tantum, ut in praesenti ordine, seu secundum potentiam Dei ordinatam, non possit dari aequalis [1]. Ratio est unio hypostatica. Unio siquidem ad personam Verbi erat titulus, propter quem gratia animae Christi debebatur; atqui titulus iste tum omnium excellentissimus est, tum statim ab initio perfecte adfuit. Revera Scriptura ét plenitudinem gratiae Christo attribuit, ét eam illi attribuit in quantum erat unigenitus Patris: „gloriam quasi [ὡς = tamquam] unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis" [2]. Praeterea merito provocatur ad illud: „Non enim ad mensuram dat Deus spiritum" [3]. — Sequitur tum ex praedictis, tum etiam ex eo quod Christus statim ab initio fuit verus comprehensor, gratiam Christi *non potuisse augeri*, unde verba: „Jesus proficiebat gratia apud Deum et homines" [4], intellegenda sunt hoc modo: procedente aetate gradatim

[1] Cfr. *Gregorianum*, 1920, p. 372 et 513. — Paulo aliter Janssens, *Summ. theol.* IV, p. 361, dicendo, gratiam Christi fuisse maximam prae potentia Dei *absoluta consequente*. — [2] *Jo.* 1, 14. — Praeter Christum etiam alii, np. b. Virgo (*Luc.* 1, 28), s. Stephanus (*Act.* 6, 8), s. Barnabas (*Act.* 11, 24), dicuntur in Scriptura „gratia pleni", sed intellegenda est plenitudo *relativa*, unde de iis non dicitur, quod habuerint gratiam in summa excellentia qua (in praesenti ordine) haberi potest, sed quod habuerint omnem gratiam, quam illorum status et conditio requirebat. *S. Th.* III, 7. 10, ad. 1. — [3] *Jo.* 3, 34. — [4] *Luc.* 2, 52.

opera majora perficiebat, unde secundum nostrum concipiendi modum Patri gratior in dies fiebat, et reapse hominibus magis placebat. Aut dicendum est cum s. Thoma, eum in dies sanctitatem suam perfectius manifestasse „et in his, quae sunt ad Deum, et in his, quae sunt ad homines" [1]. Inferes adhuc, descensum visibilem Spiritus S. in Christum [2] solummodo ad manifestationem gratiae jam praesentis factum esse.

117 Ad gratiam creatam etiam pertinent *gratiae gratis datae*, illa scil. dona supernaturalia, quae per se non faciunt habentem Deo gratum, sed ad aliorum utilitatem conferuntur, ut v. g. donum prophetiae, miraculorum, cet. Christum habuisse omnes gratias gratis datas ita ostendit s. Thomas [3]: gratiae gratis datae ordinantur ad fidei et spiritualis doctrinae manifestationem; Christus autem erat primus et principalis doctor fidei: ergo. Merito tamen observat Billot [4], gratias istas fuisse in Christo alio et multo eminentiori modo quam in ceteris; „nam prophetia, discretio spirituum, sermo sapientiae, sermo scientiae, aliaque hujusmodi continebantur in perfectione scientiae tum beatae tum infusae, qua anima ejus semper fuit repleta. Et similiter operatio virtutum, gratia sanitatum, cet. in habitudine suae humanitatis ad divinitatem, tamquam conjuncti instrumenti ad agens principale", ut ex dicendis de potentia Christi hominis apparebit.

118 III. **Gratia capitis.** Gratia creata, de qua diximus, primo quidem ipsam humanitatem Christi implendo sanctificat (et secundum hoc vocatur gratia *singularis*, i.e. sanctificans hanc singularem naturam); deinde vero eadem gratia, veluti supereffluendo, communicatur omnibus, respectu quorum Christus-homo habet rationem capitis. Jam gratia creata Christi, quatenus descendendo a Christo capite homines sanctificat et ipsos angelos quodammodo perficit, vocatur *gratia capitis*,

[1] L. c. 12, ad 3. — [2] *Jo.* 1, 32—33. — [3] *S. Th.* 1. c. 7, c. — [4] *De Verbo incarn.*[2], p. 187.

de qua cfr. S. THOMAS, *S. Th.* III, 8, et commentatores.

Corollarium. Triplicem gratiam, quam in Christo distinximus, congruo ordine complectitur S. JOANNES: „Verbum caro factum est [gratia unionis], et habitavit in nobis ... plenum gratiae et veritatis [gratia singularis] ... et de plenitudine ejus nos omnes accepimus [gratia capitis]".

§ 2. De impeccantia Christi.

I. **Libertas a peccato**[1]. Christum hominem de facto ab omni peccato immunem fuisse *dogma fidei* est[2], et aperte docetur in *s. Scriptura*: „Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum [hostiam pro peccato] fecit"[3]. — „Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato"[4]. — „Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus"[5]. — „Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati"[6]. — His etiam excluditur saltem indirecte peccatum originale, a quo ceteroquin ipsa miraculosa conceptio Salvatorem eximebat. **119**

II. **Immunitas a prava concupiscentia**[7]. Christum hominem de facto immunem fuisse a motibus inordinatis, *ad fidem pertinet.* CONC. CONSTANTINOP. II: „Si quis defendit Theodorum impiissimum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum, et alium Christum passionibus animae et concupiscentiis carnis molestatum ... anathema sit"[8]. — S. AUGUST.: „Quisquis credit, carnem Christi contra spiritum concupisse, anathema sit"[9]. Certum praeterea est, neque concupiscentiam habitualem, seu fomitem in Christo fuisse, a. v. appetitum sensitivum in eo ita perfecte subjectum fuisse rationi, ut non potuerint exsurgere motus inordinati. Ratio: motus pravi et ipse fomes, etsi proprie peccatum non sint, sunt tamen **120**

[1] Cfr. *S. Th.* III, **15**, 1. — [2] Cfr. Denz. n°. 122; 268; 711. — [3] *II Cor.* **5**, 21. [4] *Hebr.* **4**, 15; cfr. **7**, 26. — [5] *I Petr.* **2**, 22; cfr. *Jo.* **1**, **29**; **8**, 29, 46; **14**, 30; *I Jo.* **3**, 5. — [6] *Rom.* **8**, 3. — [7] Cfr. *S. Th.* III, **15**, 2. — [8] Cfr. Denz. n°. 224. — [9] *Op. imperf. c. Jul.* IV, 47.

aliquid imperfecti in genere morum, unde cum perfecta plenitudine gratiae componi nequeunt. Adhuc: secundo Adam abjudicandum non est donum primo Adae collatum, nisi contrarium exigat oeconomia redemptionis. Atqui fomes nullo modo requirebatur, ut Christus satisfacere posset pro peccatis. — Sequitur, Christum per suggestionem externam tantum tentari potuisse; S. GREG. M.: „Nihil contradictionis in seipso tolerabat: tentari ergo per suggestionem potuit, sed ejus mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis diabolica illa tentatio[1] foris, non intus fuit"[2].

121 III. **Impeccabilitas**[3]. Communis et certa sententia est (contra Durandum et Günther), Christum hominem non tantum de facto a peccato fuisse liberum, sed eum ne potuisse quidem peccare. Rem aperte docent ss. Patres. ORIGENES animam Christi comparat ferro, quod frigescere nequit, quia semper in igne est: „Hoc ergo modo etiam illa anima, quae quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in Sapientia, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intellegit Deus est; et ideo nec convertibilis et mutabilis dici potest, quae inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit"[4]. — S. CYRILLUS ALEX.: „Stolidi ac dementes prorsus sunt, qui ipsum etiam Christum, nescio quo pacto, peccare potuisse affirmant, eam ob causam, quod in forma nobis simili per incarnationem sit factus"[5]. Ratio princeps est *unio hypostatica*, vi cujus omnis actus humanitatis est actus Verbi, personae divinae, secundum illud: actiones sunt suppositorum; non quod Verbum sit principium eliciens horum actuum, sed quia eos moraliter in se recipit et suos facit. Atqui metaphysice impossibile est, Verbum in se recipere, suum facere actum peccaminosum. Ergo ipsa unio humanitatis ad Verbum

[1] Cfr. *Mt.* 4, 3. — [2] *Hom. 16 in Evang.* n° 1; cfr. *S. Th.* III, 41. — [3] Cfr. Atzberger, *Die Unsündlichkeit Christi* (1883). — [4] *De princ.* II, 6, 6. — [5] *Adv. Anthropomorph.* c. 23.

metaphysica necessitate postulat, ut ab ea omne peccatum excludatur. Quodsi quaeras, quo medio physico Verbum humanitatem assumptam reddiderit impeccabilem, respondemus, medium illud fuisse duplex: primo *plenitudinem gratiae creatae*, qua Verbum humanam voluntatem suam ita efficaciter movebat, ut semper perfecte conformaretur voluntati divinae; deinde *visionem beatificam*, quae ex veriori sententia omnem comprehensorem intrinsece impeccabilem facit, uti docetur in tract. *de Novissimis*.

Tres igitur assignantur impeccabilitatis rationes: unio hypostatica est ratio fundamentalis, sed moralis tantum; plenitudo gratiae et visio beata sunt rationes exsecutivae et physicae. — Monemus tamen de titulis impeccabilitatis Christi haud unam esse theologorum sententiam[1].

Scholion. *De liberetat Christi.* — Ex praedictis non fuit **122** in Christo libertas contrarietatis ad malum morale; hinc autem non aufertur liberum arbitrium, potentia eligendi inter plura, nam voluntas Christi, licet fuerit determinata ad bonum, non fuit determinata ad hoc vel illud bonum[2]. Potestas autem eligendi malum morale, i. e. potestas deficiendi a fine, ad quem libertas destinatur, etsi sit signum quoddam libertatis, minime pertinet ad perfectionem ejus.

Humanam Christi voluntatem reapse liberam fuisse, libertate tum exercitii, tum specificationis, saltem in plurimis, aperte habetur ex *s. Scriptura:* „Ambulabat Jesus in Galilaeam, non enim volebat in Judaeam ambulare". — „Ascendens in montem vocavit ad se, quos voluit ipse". — „Volo mundare". — „Cum gustasset, noluit bibere"[3].

Diximus: „saltem *in plurimis*": nam difficillimum est intellegere, qua ratione in Christo homine esse potuerit vera libertas arbitrii circa res praeceptas, et in specie circa

---

[1] Cfr. v. g. Pesch, *Prael. Dogm.* IV, n° 300—312. — [2] Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, **18**, 4. — [3] *Jo.* **7**, 1; *Mc.* **3**, 13; *Mt.* **8**, 3; **27**, 34.

mortem ex mandato Patris subeundam. Fuit siquidem impeccabilis; quomodo igitur adhuc eligere potuit inter impletionem et non impletionem boni obligatorii? Ab alia parte certissimum est, opera Christi et in specie passionem ejus et mortem fuisse meritoria[1]; atqui ad rationem meriti requiritur libertas non solum a coactione, sed etiam a necessitate, uti definitum est contra Jansenium[2].

123 Sententiae theologorum ad hanc difficultatem solvendam admodum variae sunt, possunt tamen ad tria veluti capita revocari.

Prima sententiarum classis ponit, Christum hominem non accepisse a Patre verum et strictum mandatum subeundi mortem, aut hoc mandatum ante acceptationem Christi non fuisse absolutum, aut mandatum fuisse prece declinabile, aut mandatum Patris stricte dictum solum substantiam mortis spectasse, non vero adjuncta modi et temporis, nec motiva eam suscipiendi. — Hac via satis salvatur libertas et meritum Christi, nisi quod in ultima sententia ipsa mortis substantia libertati subtrahitur, sed exclusio veri et indeclinabilis mandati cum s. Scriptura non ita facile componitur[3]. Praeterea, etiamsi loco veri praecepti poneretur merum beneplacitum Patris, numquid Christus ab eo recedere potuisset, quin a perfectione sanctitatis excidisset?

124 *Altera* opinionum classis veri nominis praeceptum supponit, et contendit Christum nihilominus actu habuisse libertatem eligendi. Ad rem, sane difficillimam, explicandam, Molinistae inducunt scientiam mediam, dicentes Deum voluntatem Christi humanam ita movisse, sicut noverat eam libere consensuram; Thomistae rigidiores confugiunt ad distinctionem sensus compositi et sensus divisi, asserendo, Christum stante

[1] Cfr. e. g. *Philip.* **2**, 8—9; *Is.* **53**, 7 seq.; *Hebr.* **12**, 2. — [2] Cfr. Denz. n° 1094. Vid. *Tract. de Gratia Christi*, n°. 208. — [3] Cfr. v. g. *Jo.* **10**, 18; **14**, 31; *Philip.* **2**, 8; *Rom.* **5**, 9; *Hebr* **10**, 5 seq.

praecepto et motione divina non potuisse aliter eligere in sensu composito, potuisse tamen in sensu diviso; Salmanticenses[1] provocant ad duplicem statum Christi, comprehensoris scil. et viatoris, et docent, Christum apprehendendo objectum mandati scientia viatoris, multum invenisse in eo, a quo natura abhorreret, et quod ex obedientiae amore superaret.

Tertia opinio, ni fallor, huc redit. Admittendum est verum 125
mandatum; concedendum est Christum sub tali mandato non actu sed radicaliter tantum habuisse potentiam eligendi inter plura; nihilominus ipsum praeceptum moriendi meritorie implevisse, quia illud viator ex perfectissima cognitione intellectuali et perfectissima charitate amplectebatur. Quodsi objicias, ad rationem meriti requiri libertatem a necessitate, reponunt, aliud omnino esse necessitatem ex caeca inclinatione naturae provenientem, aliud indeclinabilitatem, quae sequitur perfectissimam cognitionem et amorem. Provocant ad verba S. THOMAE: „Si etiam esset [liberum arbitrium Christi] determinatum ad unum numero, tamen ex hoc non amittit libertatem [radicalem?], aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte sed sponte tendit, et ita est actus sui dominus"[2].

Primam viam eligunt e. g. Franzelin[3] et Billot[4]; alteram Billuart[5] et Pesch[6]; tertiam L. Janssens[7] et M. de Baets[8].

[1] *De Incarnat.* Disp. 27, n° 53. — [2] *In III Sent.* d. 18, q. 1, a. 2, ad 5. — [3] *De Verbo incarn.* thes. 44. — [4] *De Verbo incarn.* thes. 29. — [5] *De Incarn.* disp. 18, art. 4. — [6] *Prael. Dogm.* IV, n° 317. — [7] *Summa Theol.* V, p. 720 seq. — [8] *De Libera Christi obedientia.* 1905.

Art. III

DE POTENTIA CHRISTI HOMINIS[1]

126 Etsi Christus, etiam ut hic homo, praedicari possit omnipotens, per communicationem scil. idiomatum, evidens est, humanitatem ejus haud fuisse omnipotentem: infinita enim potentia naturam infinitam supponit[2]. Ceterum circa potentiam activam animae Christi duo quaeri possunt, n. p. tum quid potuerit virtute propria, sive naturali sive gratuita, ut causa principalis; tum quid potuerit ut instrumentum conjunctum Verbi.

I. *Potentia propria* humanitatis Christi non erat alterius rationis ac nostra; fuit tamen excellentior, quia Christus donis, praesertim supernaturalibus, omnes superat. S. THOMAS: „Si loquamur de anima Christi secundum propriam virtutem, sive naturalem sive gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui sunt animae convenientes, puta ad gubernandum corpus et ad disponendos humanos actus, et etiam ad illuminandum per gratiae et scientiae [gratuitae] plenitudinem omnes creaturas rationales, ab ejus perfectione deficientes, per modum quo hoc est conveniens creaturae rationali"[3].

127 II. Anima Christi, ut instrumentum Verbi, habuit *instrumentalem virtutem* ad omnes effectus supernaturales et miraculosos, ad finem incarnationis ordinabiles[4].

Humanitatem Christi aliquo modo concurrisse ad opera supernaturalia, quorum causa principalis non potuit esse nisi sola deitas, patet ex Scriptura. Christus etiam ex humana

---

[1] *S. Th.* III, 13. — [2] Verba: „Data est mihi *omnis potestas* in coelo et in terra" (*Mt.* 28, 18), quae omnino videntur ex humanitate esse prolata, intellegenda sunt de omnipotentia *secundum quid*, eaque instrumentali; i.e. de potentia, quam humanitas Christi, ut instrumentum Verbi, habebat ad omnia perficienda, quae ad finem incarnationis facerent; cfr. textum sub II. — [3] L. c. 2, c. — [4] Cfr. S. Thom. l. c.

natura, secundum quam orationem praemiserat, protulit jussionem: „Lazare, veni foras![1]. Paralyticum sanavit, ut ostenderet, „quia Filius hominis [Christus secundum humanam naturam] habet potestatem in terra dimittendi peccata"[2]. Patet etiam ex Patribus et conc. ephesino docentibus, „carnem domini vivificatricem esse"[3].

Virtutem hanc instrumentalem se extendere ad omnia miraculosa, quae conducunt ad finem incarnationis, Scriptura insinuat[4]; et colligitur ex eo, quod instrumentum debeat esse fini commensuratum; unde quum humanitas Christi a Verbo assumpta fuerit ad omnia instauranda, necesse est, ut instrumentaliter valuerit ad omnia, quae ad hunc finem facerent.

Fuit autem haec virtus in anima Christi *permanenter*, quatenus humana natura, vi ipsius unionis hypostaticae, permanenter constituta erat in esse instrumenti ad omnia instauranda; fuit in ea *per modum habitus*, non quod fuerit verus habitus, sed quia anima Christi ea utebatur quando volebat[5]. Nec obstat illud: „Non poterat ibi [in Nazareth] virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit"[6]; nam sensus est, eum non potuisse congruenter multa signa facere, quia incredulitatem Nazarenorum cognoscens, noluit civibus suis gravioris culpae occasionem praebere.

Ad potentiam instrumentalem, de qua loquimur, specialiter pertinet, quod voluntas humana Christi habuit potestatem ponendi et iterum assumendi vitam corporalem, secundum illud: „Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo"[7]. Verba: „hoc mandatum accepi" ostendunt, Christum locutum esse de potestate, utique instrumentali tantum, suae humanitatis.

III. Restat quaestio controversa, *cujusmodi* fuerit virtus **128**

[1] *Jo.* **11**, 43. — [2] *Mt.* **9**, 6. — [3] Cfr. Denz. n°. 124. — [4] *Mt.* **8**, 2. seq.; *Jo.* **11**, 42. — [5] L. c. — [6] *Mc.* **6**, 5; cfr. *Mt.* **13**, 58. — [7] *Jo.* **10**, 17—18.

instrumentalis ad immutationes miraculosas, quam omnes humanitati Christi tribuunt. Scotistae cum aliis permultis docent, humanam naturam *moraliter* tantum concurrisse ad miracula, quatenus propter dignitatem, quam ex divinitate conjuncta trahebat, sua oratione (aut formali, aut aequivalente: gestu, tactu) infallibiliter movebat divinam virtutem ad efficiendum miraculum. Moralis haec causalitas certo admittenda est, et ab omnibus admittitur, sed minus recte videtur vocari instrumentalis. Hinc Thomistae humanitati insuper tribuunt influxum, quo ex motione divinitatis efficienter ad opus miraculosum concurrebat; et hunc influxum (quem ceteroquin diversimode exponunt) per analogiam cum influxu instrumenti physici, instrumentalem *physicum* vocant. Negari nequit, influxum physicum difficulter intellegi, eumque pro operationibus in distans vix non certo excludi. Mediam viam eligit Billot,[1] qui admittit causalitatem ordinis *intentionalis*. Innixus s. Thoma[2] et Cajetano[3], docet, humanitatem Christi cooperasse ad miracula instrumentaliter dispositive, verbo vel gestu suo praesentando naturae imperium divinum, et ita ei imponendo necessitatem proximam, ut in ea nunc fiat per virtutem divinam immutatio miraculosa.

Art. IV

DE PASSIBILITATE CHRISTI HOMINIS[4]

129 Post excellentias humanitatis Christi, considerandae sunt infirmitates tum corporis, tum animae, quas Verbum caro factum subire voluit: de quibus sit

PROP. **Verbum passiones naturales et irreprehensibiles naturae nostrae coassumpsit.**

---

[1] *De Verbo Incarn.* thes. **21**. — [2] *De Pot.* **6**, 4, c. — [3] *In Summ. Theol.* III, **13**, 2. — [4] *S. Th.* **14** et **15**; cfr. J. Rappenhöner, *Die Körperleiden u. Gemütsbewegungen Christi*, 1878.

Nomine *passionum* intellegimus: **a.** passiones *corporales*, quas anima experitur ex irritatione organorum aut laesione membrorum, v. g. fames, lassitudo, dolor flagellationis, cet. **b.** Passiones *animales*, seu motus appetitus sensitivi malum aversantis, adjunctam habentes immutationem corporalem: tristitia, timor, ira, cet. **c.** *Afflictiones in appetitu rationali*, consequentes apprehensionem intellectivam mali conjuncti: tristitiae spirituales [1], quae largo sensu passiones vocari possunt.

Ex passionibus aliae sunt *naturales* seu communes, quae scil. ipsam humanam naturam qua talem consequuntur, quibus proinde omnes homines aequaliter obnoxii sunt, ut v. g. fames, tristitia, mors, cet.; aliae sunt *personales*, quae per accidens causantur in individuis vel ex defectu virtutis formatricis, ut v. g. claudicatio, vel ex victu deordinato, ut quidam morbi. Jam infirmitates personales a Christo excluduntur, quia earum causae in ipso esse non potuerunt, nam „et caro ejus de Spiritu Sancto concepta est, qui est infinitae sapientiae et virtutis, errare et deficere non potens; et ipse nihil inordinatum in regimine suae vitae exercuit" [2].

Porro ex ipsis infirmitatibus naturalibus aliquae a Christo excludendae sunt, illae scil. quae plenitudini scientiae et gratiae repugnant: ignorantia et concupiscentia. Igitur Salvator eos tantum defectus naturales suscepit, qui nihil derogant perfectioni morali, quos s. Joannes Damasc. *irreprehensibiles*, seu inculpatos nominavit [3].

Dicitur autem Verbum has infirmitates non contraxisse i. e. necessario incurrisse, sed *assumpsisse*, i. e. libere suscepisse; potuisset enim humanam naturam accipere sine illis. Quod tamen non impedit, quominus etiam in Christo vere profluxerint ex principiis naturae assumptae.

---

[1] Quia de infirmitatibus Christi agimus, solas affectiones utriusque appetitus erga *malum* memoramus; fuerunt tamen in Christo etiam affectus utriusque appetitus respectu boni: amor, gaudium, desiderium; *Jo.* **11**, 36, 15; *Luc.* **22**, 15. Utique absque ulla deordinatione. — [2] *S. Th.* III, **14**, 4, c. — [3] *De fid. orthod.* III, 20: *ἀδιάβλητα πάθη*.

Ceterum passiones in Christo *minime dominabantur*, sed perfecte suberant ejus voluntati, etiam humanae, quae saltem virtute instrumentali eas prohibere, moderari, finem imponere semper plenissime potuit.

Christum passionibus corporalibus obnoxium fuisse, *dogma fidei* est ex symbolo: „passus sub Pontio Pilato" cet.; de aliis passionibus res aperte constat ex s. Scriptura.

130 *Probatur.* 1° Ex *s. Scriptura*, quae non solum universaliter docet, Verbum venisse „in similitudinem carnis peccati" [1], i. e. in carne simili carni peccatorum, passibili scil. et mortali; Christumque „per omnia fratribus similari" debuisse [2]; sed ubi insuper narratur:

a. Dominum esuriisse [3], sitivisse [4], fatigatum [5], passum et mortuum esse. Quibus breviter memoratis dicit S. FULGENTIUS [6]. „Hanc infirmitatem in Domino non putativam sed veram docet apostolus: nam etsi crucifixus est, inquit, ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei."

b. Christum ob mortem Lazari lacrimas fudisse [7], ejus animam tristem fuisse usque ad mortem [8], eum pavorem ac taedium sustinuisse [9], et iratum fuisse [10]; quae omnia passionum animalium exempla sunt.

c. Eum in cruce exclamasse: „Deus meus, ut quid dereliquisti me" [11]; quod magnam tristitiam in superiori parte animae arguit.

2° *Rationibus congruentiae.* Conveniens fuit, Christum assumere nostras infirmitates; **a.** ut pro peccatis nostris satisfaceret, poenas nostras in se suscipiendo; **b.** ut fidem incarnationis confirmaret, ne caro ejus phantastica videretur; **c.** ut patientiae exemplum nobis exhiberet [12].

---

[1] *Rom.* 8, 3. — [2] *Hebr.* 2, 17. — [3] *Mt.* 4, 2. — [4] *Jo.* 19, 28. — [5] *Jo.* 4, 6. — [6] *Ep. 18 ad Regin.* c. 3. n° 6. — De doctrina s. Hilarii cfr. Rauschen et Beck in *Tübinger Quartals.* 1905, p. 424 et in *Zeits. f. kath. Theol.* 1906, p. 108, 295 et 305. — [7] *Jo.* 13, 35. — [8] *Mt.* 26. 37. — [9] *Mc.* 14, 33. — [10] *Mc.* 3, 5. — [11] *Mt.* 27, 46. — [12] Cfr. *S. Th.* III, 14, 1, c.

Scholion 1. *De coexsistentia visionis beatificae et passibilitatis in Christo.* — Supra[1] tradidimus, Christi animam per totam vitam suam mortalem visione beatifica donatam fuisse. Quaeritur igitur, quomodo passiones, quas recensuimus, cum visione beata coexsistere potuerint. **131**

Substantia beatitudinis consistit in visione Dei, quae licet creaturam spiritualem qua talem plene satiet, non explet formaliter per se ipsam omne desiderium *hominis*, compositi scil. ex anima et corpore, unde ad integram hominis beatitudinem insuper requiruntur quaedam bona accidentalia, quae reducuntur ad corporis incorruptibilitatem. Hanc autem visio Dei *exigitive* quidem affert (quatenus scil. animae beatae, si corpori unitur, per se competit corpus glorificatum); non vero efficienter, quia anima Deum intuetur quatenus intellectualis est, corpus vero informat quatenus est vegetativa et sensitiva, et quia in visione Dei nec sensus, nec phantasia quidquam communicant. Quibus suppositis, dicimus:

a. *Non repugnat, animam beatam uniri corpori passibili.* **132** Ratio patet ex praedictis. Neque dici potest, hanc unionem in Christo fuisse contra rectum ordinem convenientiae, quia finis incarnationis, redemptio scil. generis humani, eam exigebat.

b. Ubi animae beatae unitur corpus passibile, *non repugnat coexsistentia doloris in parte sensitiva cum visione Dei*, sed ad hoc sufficit, ut singulae vires animae sibi relinquantur. Revera gaudium beatificum et tristia sensibilis invicem non excludunt, neque *ex parte objecti*, quia non sunt de eodem, neque *ex parte mutationis corporalis*, quia gaudium beatificum est sine motu corporis[2].

c. Ubi animae beatae unitur corpus passibile, *non repugnat*

---

[1] N° 110. — [2] Repugnaret ex hac parte coexsistentia doloris sensibilis, qua cor constringitur, cum gaudio *sensibili*, quo cor dilatatur. Cor enim simul constringi et dilatari nequit.

coexsistentia tristitiae in appetitu rationali cum gaudio beatifico. Non enim sese mutuo excludunt *ex parte objecti,* quia non sunt de eodem secundum idem; gaudium siquidem Christi erat de Deo viso et de rebus creatis visis *in Deo*; tristitiam vero ingerebant mala, ut conjuncta apprehensa *in seipsis* per scientiam infusam et acquisitam. Neque sese excludunt *ratione intensitatis,* quia nulla assignari potest ratio, cur actus *mere spiritualis,* cui scil. sensus aut imaginatio nullatenus participant, intensitate sua alium actum impediret, praesertim accedente confortatione ex lumine gloriae.

Uberiorem hujus rei explicationem, videre est apud Billot [1]. Dantur tamen et aliae difficultatis solutiones. Valde simplex est sententia Melch. Cano [2], secundum quem Christus habuisset actum visionis in intellectu, sed, saltem quandoque, absque actu gaudii in voluntate. Attamen haec suppositio plerisque theologis non placet [3].

133 **Scholion 2.** *De perfectione corporis Christi* [4]. — Christum non habuisse corpus deforme colligi potest ex iis, quae supra in explicatione prop. diximus; deformitas enim non est defectus naturalis, humanam naturam universaliter consequens, sed causatur per accidens ex defectu virtutis formatricis. Neque in contrarium faciunt verba Scripturae: „Non est species ei neque decor"; nam contextus ostendit, prophetam loqui de Christo patiente [5]. Ceterum facile accedimus vulgatae sententiae, Salvatorem ea corporis pulchritudine praefulsisse, quae „competebat ad statum ac reverentiam suae conditionis . . . ita ut quoddam divinum radiabat in vultu ejus, quod omnes reverebantur" [6].

---

[1] *De Verbo incarn.* thes. 23. — [2] *De Locis,* 12, 14, circa finem. — [3] Cfr. v. g. Pesch, *Prael.* IV, n° 259. — [4] Cfr. L. Janssens. *Summ. Theol.* IV, p. 505: C. Marianus, *Jesu und Mâria in ihrer aüssern Gestalt und Schönheit* (1870). — [5] *Isa.* 53, 2. — Immerito igitur quidam ex vetustis patribus propter hunc textum speciosam corporis formam Christo abjudicarunt. — [6] S. Thom. *In Ps.* 44.

EPILOGUS

De convenientia incarnationis

Omnes concedunt, incarnationem Verbi esse mysterium **134**
simpliciter, seu primi ordinis [1], cujus interna possibilitas ne post revelationem quidem positive intellegi potest.

Attamen etsi sit supra rationem, nullo modo ei contradicit; dummodo enim doctrina revelationis recte exponitur, nihil in ea invenitur, quod veram contradictionem involvit.

Non repugnat *ex parte Verbi*; quum enim personalitas Verbi sit infinita, omnem perfectionem personalitatis creatae eminenter in se continens, non apparet, quare personalitatem naturae assumptae supplere nequiret. Aliunde Verbum carnem assumendo, intrinsece non mutatur: nullam de novo perfectionem acquirit, nullam perdit, sed absque sui mutatione incipit habere relationem rationis ad naturam assumptam „sicut homo de novo fit dexter absque sui mutatione per motum illius, qui fit ei sinister" [2].

Non repugnat *ex parte humanitatis assumptae*, licet enim de discrimine personam inter et naturam singularem completam variae exsistant doctorum sententiae, nemo probare potest, nullum inter utramque dari discrimen. Unde gratis asseritur, repugnare assumptionem naturae humanae, propria personalitate carentis. Ceterum hujusmodi difficultates supra jam praeoccupavimus, n^0 **40** seq.

Quinimo, admisso humiliter mysterio revelato, cujus pro- **135**
funda nullus intellectus humanus perscrutari potest, incarnatio valde *conveniens* dicenda est [3], quia per eam novo et excel-

[1] Cfr. tract. *De vera Relig.* n^0 14. — [2] *S. Th.* III, 16, 6, ad 2. — [3] Cfr. S. Thom. *S. Th.* III, 1, 1 et 2 (ubi insuper exponitur, quod incarnatio etiam *ex parte hominis* conveniens est, tum quantum ad promotionem ejus in bonum, tum quantum ad remotionem ejus a malo); et *S. c. G.* 4, 54.

lentissimo modo manifestantur divinae perfectiones, unde gratias agit ecclesia: „Quia per incarnati Verbi mysterium nova mentis nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit."

In incarnatione summopere refulget:

a. *Divina potentia.* Plane admirabilis est unio illa duarum naturarum, quae tantum distant et, inconfusae tamen atque impermixtae, tam arcte copulantur: „Tanto, ait S. LEO, foedere utramque naturam conseruit, ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio" [1]. Quinimo prae humana sapientia incarnatio „coacervatio quaedam est impossibilium. Quid enim ex hominum judicio magis impossibile, quam Deum hominem fieri, aeternum nasci, immortalem mori, incommutabilem pati, mortuum reviviscere, virginem matremque eamdem esse" [2].

136 b. *Divina bonitas.* Incarnatio enim est maxima omnium communicationum Dei ad extra. „Tam excellens est communicativus ille amor Summi Boni, ut non satis ei fuerit creare universum, et assumere intellectualem creaturam in divinae consortium naturae [per gratiam scil. et consequentem gloriam], sed ad id unum, quod reliquum erat, elevavit ipsam trahendo eam ad suam subsistentiam, ut qui ab aeterno subsistebat in natura propria, hoc est divina, ille idem inciperet subsistere in natura creata. Et non est alius modus, quo Deus possit communicari melius, quia in *creatione* Deus communicatur tantum secundum creatas sui participationes; in *glorificatione* communicatur quidem secundum seipsum, sed ita ut non uniatur creaturae nisi in ratione formae intelligibilis; in *incarnatione* vero communicatur uniendo sibi naturam creatam substantialiter, i. e. in unitate hypostasis seu personae" [3]. Unde merito Scriptura: „Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret" [4].

[1] *Serm. 1 de Nativ.* 2. — [2] Thomassinus apud Hurter, *Theol. dogm. Comp.* II[8], n° 433. — [3] Billot, *De Verbo incarn.* Ed. 2, p. 21. — [4] *Jo.* 3, 16.

c. *Divina justitia.* Ideo Verbum carnem assumpsit, ut **137** passione et morte sua pro nobis satisfaceret. Deus etenim peccatum impunitum relinquere noluit, sed reparationem culpae proportionatam, quam solus Deus-homo praestare valebat, exegit „ad ostensionem justitiae suae"[1], utque omnes salutari timore correpti sibi dicerent: „Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet" [2].

d. *Divina sapientia,* quia ut ait DAMASCENUS, in incar- **138** natione Deus „rei perquam difficili congruentissimum exitum invenit" [3]. Revera per incarnationem et divina misericordia copiosissime in gentem peccatricem effunditur; et divina justitia condignam pro peccatis satisfactionem accipit; et diabolus congruenter spoliatur captivis, quos olim in suam redegerat potestatem (qui enim Eum, in quem jus non habuit, morte appetere praesumpsit, congruenter perdidit, quos jure quodam tenebat [4]); et humana superbia gravissime retunditur, dum homo, qui altiora se superbe appetendo ceciderat, nonnisi per humilitatem Dei incarnati erigitur; et nos homines ad Deum amandum efficacissime excitamur, quippe qui „dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur" necesse est.

Merito igitur S. THOMAS: „Si quis diligenter et pie incarnationis mysteria consideret, inveniet tantam sapientiae profunditatem, quod omnem humanam cognitionem excedat" [5].

Sectionem concludimus verbis S. BERNARDI: „Quanto minorem se fecit [filius Dei] in humanitate, tanto majorem se exhibuit in bonitate: et quanto pro me vilior, tanto mihi carior est" [6].

Rom. **3**, 25. — [2] *Luc.* **23**, 31. — [3] *De fid. orthod.* **3**, 1. — [4] S. Greg. M. *Hom. 25 in Evang.* 8. — [5] *S. c. G.* **4**, 54. — [6] *Serm. 1 in Epiph.* 2.

SECTIO II

Soteriologia,

SIVE

De opere redemptionis [1],

CAPUT UNICUM

139 Quis qualisque fuerit dominus noster Jesus Christus supra explicavimus, modo contemplari oportet magnum pietatis opus, cujus perficiendi causa Verbum Patris carnem suscepit, quodque ipso sanctissimo nomine *Jesu* designatur, secundum illud: „Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum" [2].

Opus Christi — praecipuum scil. et cui cetera subordinantur, — erat genus humanum Deo reconciliare, delendo culpam quam peccando incurrit, liberare homines a servitute diaboli poenisque peccati, recuperare iis dona pristina, gratiam scil. et jus ad beatitudinem supernaturalem, renovare eos ad statum amicitiae et filiationis Dei. Opus illud vocatur *reconciliatio, pacificatio, liberatio, renovatio, recapitulatio* [3], cet. saepissime vero et aptissime *redemptio*, hominum scil. seu generis humani.

Dicemus in *art. I* de ea dignitate Christi, vi cujus nos Deo reconciliare potuit, seu de Christo ut mediatore; in *art. II* de ipsa mediatione Christi in cruce peracta; in *art. III* de perfectione mediationis Christi; demum in *art. IV* de exaltatione Christi.

---

[1] Cfr. C. van Crombrugghe, *De Soteriologiae christianae primis fontibus*, 1905; J. Rivière, *Le Dogme de la Rédemption. Essai d'étude historique*, Ed. 2a, 1905; *Le Dogme de la Rédemption. Etude theologique*. 1914; E. Hugon, *Le Mystère de la Rédemption*. — [2] *Mt.* 1, 21, — *Jesus*, hebr. יֵשׁוּעַ (forma abbreviata pro יְהוֹשׁוּעַ = Jahve est salus), interpretatur *Salvator*, Σωτήρ, unde nomen *soteriologia*. — Vox Χριστὸς (hebr. מָשִׁיחַ = Messias = Unctus) primum non erat nomen proprium, sed praedicatum quo conversi ex Judaeis fidem suam profitebantur: Jesus est Christus: ὁ Χριστὸς = promissus Messias; at vero mox facta est nomen proprium Salvatoris, et ita jam a s. Paulo adhibetur. — [3] *Eph.* 1, 10: *ἀνακεφαλαίωσις;* Vulg.: instauratio.

Art. I

DE CHRISTO UT MEDIATORE[1]

Ut inter homines, qui ex amicis inimici facti sunt, pristina **140** amicitia redintegretur, intercedere solet aliquis tertius, non quilibet, sed talis qui tum offenso tum offensori aliqua ratione conjungitur. Ita etiam ad genus humanum peccato perditum Deo reconciliandum opus erat intercessore, qui tum genus humanum repraesentare ejusque causam agere posset, tum Deo offenso ita gratus exsisteret, ut ab eo accipi mereretur. Talis autem mediator, non ab hominibus inventus, sed a Deo datus, erat dominus noster Jesus Christus, secundum illud: „Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi"[2].

PROP. **Christus, secundum quod homo, est unicus 141 mediator inter Deum et homines.**

Thesis apertis verbis habetur in Scriptura: „Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus"[3]. Igitur explicatione tantum indiget.

1. *Mediator* est qui inter duos medius exsistit ad eos conjungendos. Hinc nomen mediatoris duo importat: habitudinem medii inter extrema, et officium ea conjungendi.

Jam Christus, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem *erat medius* inter Deum et homines: erat enim infra Deum ratione ipsius naturae creatae; erat supra omnes homines, tum ratione dignitatis quam natura humana habebat ex eo, quod subsistebat in Verbo Dei, tum ratione plenitudinis gratiae ac veritatis, quae unionem cum divinitate consequebatur. Quia igitur modo praedicto medium locum tenebat, aptus erat ut Deum et homines per peccatum ab invicem aversos iterum conjungeret.

Porro Christus-homo ideo exsistebat, ideo ipsa incarnatione

[1] Cfr. *S. Th.* III, 26. — [2] *II Cor.* 5, 19. — [3] *I Tim.* 2, 5—6.

constitutus erat medius inter Deum et homines, ut nos Deo reconciliaret, regnumque divinum peccato perturbatum restitueret: habetur igitur divinitus *officium conjungendi*, seu uniendi inter se homines et Deum [1].

142 2. Docemur autem Christum-hominem esse *unicum* mediatorem inter Deum et homines: quod tamen intellegendum est de mediatione principali et perfecta, i. e. de ea, quae *sua virtute* valeat *perficere* unionem hominum cum Deo. Revera nemini praeter unum Christum officium hujusmodi mediationis impositum est, nemo praeter Christum munus accepit reconciliandi per semetipsum homines Deo, restaurandi eos ad amicitiam et societatem Dei per peccatum amissas. „Ego sum via, veritas et vita: nemo venit ad Patrem nisi per me" [2]. — Et: „Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri" [3]. Quinimo supposito quod Deus condignam satisfactionem exigeret, officium hoc nulli alii imponi potuit, quia solus Homo-Deus talem satisfactionem offerre valebat [4]. Attamen aliud est sufficere ad consummandam sua virtute unionem hominum cum Deo, aliud ad hanc unionem aliqua ratione concurrere, et ita veritas asserta non impedit, quominus praeter Christum alii, sive angeli sive homines, ad unionem nostram cum Deo aliquid conferant, aut *dispositive*: praestando aliquid mediationi Christi praevium, aut *ministerialiter*: nomine et virtute Christi applicando fructus mediationis ipsius.

Igitur soli Christo, qui est unicus mediator principalis et perfectus, nomen mediatoris convenit *simpliciter*; ceteris vero qui variis modis funguntur mediatione subordinato, idem nomen tribui potest *secundum quid*.

143 **Scholion.** *De triplici munere Christi.* — Mediatio inter

[1] Cfr. *Mt.* **20**, 28; *Luc.* **19**, 10; *Jo.* **10**, 15—18. — [2] *Jo.* **14**, 6. — [3] *Act* **4**, 12; cfr. *Colos.* **1**, 20. — [4] Cfr. n[0] **6**.

Deum et homines, cujus gratia Christus advenit, plura comprehendebat. Pars praecipua erat placare Deum offensum: redemptio proprie dicta, per sacrificium crucis consummanda. Partes subordinatae erant tum docere homines veritatem divinam viamque salutis, tum instituere ac moderari regnum spirituale, in omnes gentes propagandum, ecclesiam scil., qua homines redemptos in finem aeternae beatitudinis dirigeret. Hinc officium mediatoris adaequate sumptum [1] complectitur triplex munus speciale: *sacerdotis* scil. (nam munus redemptoris cum sacerdotio coincidit), *prophetae* et *regis*. Triplex illud munus a prophetis V. T. de Messia esse praedictum, breviter exposuimus in tract. *De vera Religione*, n° 151 seq.

1. Munus propheticum [2]. Propheta est qui ex persona Dei **144**
loquitur ad homines; magister, qui auctoritate a Deo accepta divina nuntiat [3]. Christum hujusmodi prophetam seu magistrum fuisse, abunde constat ex iis, quae in tract. *De vera Religione* dicta sunt.

Fuit autem magister *excellentissimus*, tum propter scientiam visionis, per quam ea, quae videbat, testabatur [4]; tum propter maximam auctoritatem, cui omnes subsunt et quam delegare poterat quibus volebat [5]; tum quia doctrinam suam sanctissimae vitae exemplo et miraculis commendabat [6]; tum denique quia non solum extrinsecus docere, sed etiam intrinsecus illuminare homines poterat [7].

Fuit etiam *unicus* magister novi testamenti [8]; tum quia ipse solus natura magister erat, alii communicatione; tum quia apostoli eorumque successores nihil aliud praedicant, quam quae aut ipsius Christi ore aut per Spiritum Christi didicerunt.

---

[1] Dico: „*adaequate* sumptum", nam saepe munus mediatoris ad solum opus redemptionis coarctatur. — [2] Cfr. *S. Th.* III, 42. — [3] Cfr. Tract. *de vera Religione*, n° 59. — [4] *Jo.* 3, 11. — [5] *Mt.* 28, 18 seq. — [6] *Jo.* 13, 15; *Act.* 1, 1. — [7] *Jo.* 1, 9. — [8] *Mt.* 23, 8—10.

Circa *modum*, quo Christus magisterium suum exercuit, haec. **a.** Quamquam erat magister omnium hominum, per seipsum solis Judaeis praedicavit[1], quinimo apostolos recens electos in viam gentium jam abire prohibuit[2]. Cujus rei s. Thomas[3] duas praesertim assignat rationes convenientiae: oportuit siquidem ostendere, per adventum Christi impleri promissiones antiquitus datas Judaeis, non gentibus[4]. Oportuit etiam doctrinam Christi Judaeis, qui per fidem et cultum unius Dei propinquiores erant Deo, primum proponi, deinde a Judaeis transmitti in gentes[5]. — **b.** Christus ad Scripturam V. T. saepe appellavit quidem, sed ipse doctrinam suam solo verbo proposuit, nihil scribendo, nihil dictando. Ita exemplo suo ecclesiae commendavit optimam evangelizandi methodum, quae documenta scripta subsidiarie quidem abhibet, sed orali praedicationi potissimum insistit. Simul cavit, ne fideles litteram mortuam magisterio viventi, ab ipso instituendo, praeferrent.

145 **2. Munus regium.** Potestas regia st facultas suprema homines in societatem ordinatos ad finem communem dirigendi. Christum hominem esse regem ét prophetae V.T.[6], ét angelus incarnationis nuntius docent: „Dabit illi Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum"[7]. Praeterea ipse Christus hanc dignitatem aperte sibi tribuit, simul explicans naturam spiritualem regni sui: „Tu dicis, quia rex sum ego .... Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judaeis: nunc autem regnum meum non est hinc"[8]. In quae verba AUGUSTINUS: „Non ait: regnum meum non est in hoc mundo, sed non est de hoc mundo. Non ait: regnum meum non est hic, sed non est hinc. Hic est enim regnum ejus usque in finem

[1] *Mt.* 15, 24. — [2] *Mt.* 10, 5. — [3] *S. Th.* l. c. 1. — [4] Cfr. *Rom.* 15, 8. — [5] Cfr. *Isa.* 66, 19. — [6] Cfr. tract. *de vera Relig.* n°. 152. — [7] *Luc.* 1, 32. — [8] *Jo.* 18, 47, 36. — Cfr. *Rev. des sciences phil. et théol.* 1922, p. 40, et. 1923, p. 125, ubi argumentatur, titulo „*Κυριος*" etiam exprimi dignitatem regalem.

saeculi, habens inter se commixta zizania usque ad messem" [1]. Christus potestatem regiam exercuit instituendo ecclesiam, ordinando ea quae pertinent ad constitutionem ejus, ad sacrificium et sacramenta, praeponendo ei pastores et rectores, cet. uti in tract. *de Ecclesia* exposuimus.

Ad munus regium pertinet potestas *legislativa*, de qua **146** CONC. TRID. contra reformatores definivit: „S. q. d., Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatorem cui obediant; a.s." [2]. Nec obstat, quod christiani dicantur „in libertatem vocati" [3], „non [esse] sub lege, sed sub gratia" [4], judicari „per legem libertatis" [5], cet. „Libertas evangelica" nullo modo habet, nudam fidem aut fiduciam in Christo absque mandatorum observatione sufficere ad salutem, uti contextus locorum laudatorum satis ostendit. Vera libertas novi Testamenti haec fere comprehendit. **a**. Christianos non amplius teneri praeceptis judicialibus et caeremonialibus Legis; **b**. eos per gratiam Christi liberatos esse a peccato et a servitute concupiscentiae, a quibus Lex mosaica per seipsam liberare non poterat (qui enim tempore Legis remissionem peccatorum acceperunt, et concupiscentiis suis non servierunt, hanc liberationem non Legi, sed promissioni ac fidei, i. e. gratiae futuri Redemptoris acceptam debuerunt). **c**. Christianos, veros scil. et perfectos, mandata Christi observare, non ut servi ex timore, sed lubenti animo ut filii ex amore [6]. Inferes, etiam bonos christianos, quamdiu in terris militant, imperfecte tantum frui libertate Christi, perfecte vero beati, qui concupiscentiae expertes consummata charitate quaecumque bona sunt faciunt.

Ad regiam dignitatem Christi etiam pertinet potestas

---

[1] *Tract. in Jo.* **115**, 2. — [2] S. VI, can. 21: cfr. 19+20. — Nihilominus vulgata sententia est, Christum praeter ea quae constitutionem ecclesiae, fidem, sacramenta respiciunt, legi naturali nullum praeceptum mere positivum addidisse. Cfr. v.g. Pesch, *Praelect.* V, n° 549 seq. — [3] *Gal.* **5**, 1, 13; cfr. **4**, 21—31. — [4] *Rom.* **6**, 14. — [5] *Jac.* 2, 12; cfr. 1, 25. — [6] Cfr. *Rom.* **8**, 15.

judicandi omnes homines imo et angelos, quam tamen hoc loco praetermittimus, quia ejus exercitium non pertinet ad regnum Christi in terris.

147 3. **Munus sacerdotale** [1]. Sacerdos, in sensu stricto, est qui legitima auctoritate constituitur ad offerendum sacrificium, aliaque quae Deum respiciunt inter homines peragenda. Essentia sacerdotii consistit in legitima facultate offerendi sacrificium proprie dictum, unde quicumque ad sacrificandum deputatur sacerdos est [2], quicumque non deputatur sacerdos non est. Cetera vero, ut v.g. oratio pro populo, sacramentorum administratio, sunt veluti secundaria.

Christum esse *sacerdotem* in sensu proprio aperte habetur ex. *Ep. ad Hebr.*, ubi data opera sacerdotium ejus effertur [3]; conficitur etiam ex eo, quod seipsum obtulit sacrificium, tum cruentum in cruce (uti in *art.* sequenti dicemus), tum incruentum in coena (uti ostenditur in tract. *de s.s. Eucharistia*). Est autem Christus sacerdos secundum *humanam suam naturam*, nam ut Deus sacrificium non offert, sed suscipit. Est sacerdos *in ipsa incarnatione constitutus* [4], tunc enim divinitus deputabatur ad immolandum seipsum pro salute mundi, tunc humana voluntate munus illud suscepit [5]. Est sacerdos summus seu *excellentissimus*, tum ratione dignitatis suae personae, tum ratione sacrificii sui, quod solum sufficiebat ad consummandum in sempiternum sanctificandos [6]. Est sacerdos *unicus N. T.*, principalis scil., nam reliqui omnes non sunt nisi ministri ejus, agentes ex virtute et in persona

---

[1] Cfr. *S. Th.* III, **22**. — [2] Hinc quicumque deputatur ad offerenda sacrificia latiori sensu ita dicta (scil. orationes, bona opera in honorem Dei facta), vocari potest sacerdos *in sensu latiori*. Et hoc sensu omnes Christiani, quum per characterem baptismalem ad cultum Dei deputati exsistant, sacerdotes subinde dicuntur. Cfr. v. g. *I Petr.* **2**, 5, 9; *Apoc.* **1**, 6. — [3] Cfr. v. g. **4**, 14; **5**, 5—6; **7**, 21—27. Vide etiam conc. ephes. Denz. n° 122; conc. trid. S. 22. cp. 1. Cfr. *Gregorianum*, 1921, p. **285**. — [4] Cfr. *Heb.* **5**, 5. — [5] *Heb.* **10**, 5—10. — [6] Cfr. *Heb.* **10**, 14.

ipsius. Est denique sacerdos *in aeternum* [1]. Christum usque in finem saeculorum sacerdotio fungi facile intellegitur, tamdiu enim in terra per sacerdotes vicarios mystice renovat sacrificium crucis, tamdiu in coelis pro viatoribus interpellat [2], ut suo loco dicemus. Difficilius explicatur, quomodo post ultimum judicium sacerdotem agere pergat. S. Thomas [3], distinguendo inter sacrificii oblationem et consummationem, docet, Christum in aeternum consummare sacrificium suum jugiter influendo in beatitudinem, qua sancti per ipsum fruuntur, secundum illud: „Claritas Dei illuminabit illam [civitatem sanctorum], et lucerna ejus est agnus" [4].

Quum ad sacerdotium etiam pertineat oratio, hac occasione **148**
pauca adjicimus de *oratione* Christi [5]. Oratio est explicatio propriae voluntatis apud Deum, ut eam impleat [6]. Christus-homo orare potuit, quia habebat voluntatem humanam, quae non valebat per seipsam implere omnia, quae volebat; et oratio ejus non fuit superflua, quia sciebat ex divina ordinatione quaedam futura esse dependenter ab oratione sua, proinde orationem suam esse causam mediam ad certos effectus. Reapse, teste evangelio, frequenter orabat tum pro se, tum pro aliis [7]. Porro supra dictum est, humanam Christi voluntatem (deliberatam) semper perfecte subjectam fuisse voluntati divinae, hinc nihil umquam simpliciter et absolute rogabat, nisi quae sciebat velle Patrem suum. Et ita in iis, quae orando absolute petebat, semper exaudiebatur „pro sua reverentia" [8], i. e. pro perfecta sua subjectione ad voluntatem Patris.

[1] *Heb.* 7, 24. — [2] *Heb.* 7, 25. — [3] *S. Th.* III, 22, 5, c. et ad 1; cfr. Janssens, *Summ. Theol.* IV, p. 742. — [4] *Apoc.* 21, 23. — [5] Cfr. *S. Th.* III, 21; J. Margreth, *Das Gebetsleben Jesu Christi* (1902). — [6] Definitio etiam orationem contemplatricem comprehendit, nam contemplatio, ut vera oratio sit, adjunctum habere debet amoris affectum, qui saltem implicite continet desiderium, ut amatus ametur, eique serviatur. — [7] Cfr. v. g. *Mt.* 14, 23; *Mc.* 1, 35, 6, 46; *Luc.* 3, 21; 6, 12; 9, 29; 11, 1; *Jo.* 17, 5; *Hebr.* 5, 7. — [8] *Heb.* 5, 7; *Jo.* 11, 42.

Dicitur: quae *absolute* petebat; nam quando v. g. orabat ut transferretur ab eo calix, liberationem a passione minime absolute petiit, ut ipse contextus ostendit; sed naturalem voluntatis humanae aversionem a dolore aperire voluit, ut nos doceret, omnem voluntatis repugnantiam Deo esse subjiciendam, et in omnibus necessitatibus ad Deum esse recurrendum pro auxilio opportuno, Similiter quando pro salute hominum orabat, voluntatem suam voluntati Dei salvificae subjiciebat, proinde simpliciter et absolute illorum dumtaxat petebat salutem, quos Pater praedestinavit.

149 Hucusque de muneribus Christi mediatoris. Facile vides, munus tum propheticum tum regium sacerdotio (cum quo munus redemptoris identificatur) quodammodo subordinari. Ideo enim Christus veritatem divinam nuntiavit, ideo ecclesiam instituit, ut homines disponerentur et adjuvarentur ad salutares effectus sacrificii crucis participandos, dignosque redemptionis suae fructus afferendos. Hinc ubi de Christo mediatore sermo instituitur, vix non unice attendi solet functio sacerdotalis, opus scil. redemptionis nostrae, secundum illud: „Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus."

Consideremus itaque „pontificem confessionis nostrae Jesum" in ara crucis salutem nostram operantem.

Art. II

DE MEDIATIONE CHRISTI IN CRUCE [1]

150 Palmare omnium christianorum dogma est, Christum passione et morte sua nostram salutem causasse. Sed antequam probationem dogmatis aggrediamur, sensus ejus accuratius determinandus est.

Imprimis sciendum est, terminum *„salus nostra"* totum

[1] Cfr. J. Muth, *Die Heilstat Christi*, 1904; Stufler *Die Erlösungstat Christi in ihrer Beziehung zu Gott*, in *Zeits. f. kath. Theol.* 1904.

fructum mediationis Christi comprehendere: peccatorum deletionem, poenarum remissionem, gratiarum largitionem, bonorum operum meritum, ipsam denique beatitudinem coelestem.

Deinde duae veniunt quaestiones solvendae, n. p. 1^0 qua ratione salus nostra passioni Christi *prae ceteris illius actibus* tribuatur; 2^0 qua ratione tota salus nostra passioni Christi tribuatur, quum manifestum sit, etiam post hanc passionem *plura requiri, ut quis de facto justificetur ac salvetur.*

1. Reparatio nostra passioni crucis prae ceteris Christi 151
actibus adscribitur *non exclusive, sed specialiter.* Reapse non sòla mors in cruce suscepta, sed omnia, quaecumque Christus in carne mortali egit et passus est, ad reparationem nostram contulerunt, ita scil. ut omnia simul sumpta constituerint integrum pretium redemptionis nostrae. Nihilominus usus communis, ab ipsa s. Scriptura mutuatus[1], habet, ut soli morti Salvatoris in cruce reconciliatio nostra tribuatur, in sensu scil. non exclusivo, sed peculiari. Et merito, tum quia inter omnia, quae Christus fecit ac sustinuit, mors crucis est opus ex parte objecti *praecipuum*, tum quia est ceterorum omnium ultimum et *completivum* quo addito jam integrum factum est pretium, pro animabus nostris a Christo conformiter ad beneplacitum Patris destinatum.

Consulto dicimus: pretium pro animabus nostris *destinatum* seu ordinatum. Videri siquidem posset, quod statim post primam actionem Christi redemptio nostra debuerit esse peracta, nam quilibet actus Christi-hominis, quum propter dignitatem personae operantis valorem infinitum haberet, ad reparationem nostram satis superque sufficiebat.

Sed considerandum est, „quod ad emptionem duo requiruntur, scil. *quantitas* pretii et *deputatio ejus ad aliquid emendum.* Si enim aliquis det pretium non aequivalens, non dicitur esse simpliciter emptio, sed partim emptio partim

[1] Cfr. v. g. *Mt.* 20, 28; *Rom.* 5, 10; *Hebr.* 2, 14; *I Petr.* 1, 18.

donatio. Rursus si daret etiam majus pretium, sed non deputaret ad emendum, non diceretur emere rem. Si ergo loquamur de redemptione humani generis quantum ad quantitatem pretii, sic quaelibet passio Christi etiam sine morte suffecisset ad redemptionem humani generis, propter infinitam dignitatem personae. Si autem loquamur *quantum ad deputationem pretii*, sic dicendum est, quod non sunt deputatae ad redemptionem humani generis a Deo Patre et Christo aliae passiones Christi absque morte" [sed tantum una cum morte] [1]. Brevi: ad redemptionem nostram quaelibet passio Christi sufficiebat in actu primo, sed in actu secundo non sufficiebat nisi tota series passionum una cum morte, quia divina ordinatio habebat, ita et non aliter restaurandum esse genus humanum.

152 2. Salus nostra tribuitur passioni Christi tamquam *causae universali, cujus virtus singulis hominibus per varia media applicari debet*. Manifestum est passionem Christi non fuisse a Deo ordinatam ad hoc, ut salus aut saltem justitia singulis hominibus ipso facto proveniret, secus enim nemo adhuc in peccatis nasceretur, nemo justificatione indigeret, cet. Sed passio Christi est causa universalis remissionis et salutis, talis scil. causa, cujus virtus omnia peccata praeterita, praesentia, futura delere, omnia bona salutis conferre quidem valet, sed quae ex se nulli subjecto applicatur. Hinc legimus: „Dedit eis *potestatem* filios Dei *fieri, his qui credunt in nomine ejus*" [2]. Ut igitur in aliquo homine effectum reapse consequatur, necesse est ut ad illum derivetur, illi applicetur; quod fit variis mediis atque conditionibus internis et externis, quae hominem Christo, pro omnibus passo, debito modo subjiciunt atque conjungunt. Et perpende, applicationem hanc nihil efficaciae aut virtutis addere passioni Christi, sicut nec sumptio auget valorem medicinae; hinc enim statim apparet, necessitatem applicationis et causarum appli-

[1] S. Thom. *Quodlib. II*, 1, 2, c. — [2] *Jo.* 1, 12.

cantium haud importare insufficientiam operis Christi. Ceterum rem principalem etiam protestantes concedunt, quamvis circa media, quibus virtus passionis dominicae homini copuletur, a veritate catholica recesserint.

Nunc autem observandum est, passionem Christi in iis, **153**
quibus de facto applicatur, effectus suos producere *secundum ordinem a Deo statutum*. Ordo autem est, ut primo per gratiam justificationis constituamur *in via* ad salutem, relictis tamen adhuc concupiscentia, passibilitate, mortalitate, ut Christi passionibus communicemus, antequam cum eo glorificemur[1]. Qui autem ponitur in via, ideo ibi ponitur ut eat, i. e. ut sua operatione tendat in finem. Hinc ordo divinus habet, ut justificati gloriam coelestem *in virtute passionis Christi suis operibus mereantur*. Dico: „in virtute passionis Christi", nam ét gratia, principium bonorum operum, ét ordinatio operum nostrorum ad mercedem supernaturalem ex meritis Christi est. Quum igitur merita justificatorum a merito Christi nascantur, illud non obscurant, sed quam maxime illustrant; perfectius enim est efficere, ut homo per sua merita, modo scil. nobilissimo gloriam consequatur, quam ut illam sine illis obtineat; et plus debet Christo mediatori, qui virtute ejus habet, ut primo coronam mereatur, deinde illam promeritam accipiat, quam qui eamdem coronam sine praeviis meritis acciperet. Tantum igitur abest ut fructus bonorum operum, a justis Christi productus, insufficientiam redemptionis argueret, ut maximam ejus efficaciam probet. Quapropter etiam ex hac parte nihil obstat, quominus tota salus nostra passioni Christi adscribatur.

Sed videamus, num et quotuplici genere causalitatis eam causaverit.

PROP. **Passio Christi salutem nostram causavit 1° per** **154**

[1] Cfr. *Rom.* **8**, 17; *I Cor.* **15**, 49.

modum satisfactionis, 2° per modum meriti, 3° per modum redemptionis, 4° per modum sacrificii [1].

PROP. adstruit veritatem principalem, et simul aperit diversos ejus modos seu adspectus, quos plebs christiana quotidie confitetur, de uno eodemque reparationis nostrae opere promiscue dicendo, quod Christus pro peccatis nostris satisfecit, quod nobis salutem meruit, quod nos redemit, quod se ipsum pro nobis in ara crucis immolavit. Quodsi rem paulo penitius meditaveris, invenies, reparationem Christi secundum quatuor hos adspectus accurate respondere ruinae, a veteri Adamo inductae. Si peccatum spectes secundum se, erat offensa Dei, *injuria* Deo illata; si illud spectes secundum suos effectus, ab una parte homines *bonis gratuitis privavit* et *servituti diaboli addixit*, ab alia parte *Deum fecit esse iratum*. Atqui pro injuria irrogata debetur *satisfactio*, bona deperdita iterum *promereri* debent, servus diaboli indiget *redemptione*. Deus iratus placatur *sacrificio*.

155 *Pars I.* Passio Christi salutem nostram causavit **per modum satisfactionis.**

Sensus est, Christum ut salutem nostram (in sensu exposito) operatur, patiendo et moriendo Deo Patri satisfecisse pro peccatis nostris.

Satisfactio directe respicit extinctionem debiti seu reatus, et definiri potest: *injuriae recompensatio secundum aequalitatem*. Dicitur: „secundum aequalitatem", nam si valor reparationis non aequat magnitudinem offensionis, non habetur vera et stricta *satisfactio*, sed restitutio imperfecta, quae gratuita condonatione compleri indiget. Valor autem, proinde etiam aequivalentia satisfactionis, primario non a praestantia operis satisfactorii, sed a dignitate personae satisfacientis dependet.

Naturalis satisfaciendi modus est per assumptionem operum poenalium. Qui enim peccavit voluntati suae plus aequo

[1] Cfr. *S. Th.* III, 48; Hugon, *La Rédemption considérée comme satisfaction, comme sacrifice, délivrance, restauration*, Paris, 1910.

indulgendo, quaerendo bonum delectabile contra legem Dei, et hac ratione Deum offendit, ordinem justitiae reparat, ac per consequens Deo, principio ordinis, satisfacit, subtrahendo sibi bona, quae habere vellet, aut sustinendo mala, quae aversatur, a.v. assumendo opera poenalia[1]. Ceterum quemadmodum in peccato pars formalis est inobedientia voluntatis erga Deum, ita in satisfactione momentum praecipuum sunt humilis obedientia et charitas in Deum, quibus opera satisfactoria informantur.

Si satisfactio praestatur non per ipsum reum, sed per alium, vices ejus gerentem, habetur *satisfactio vicaria*. Impossibile est, ut alter formaliter in se suscipiat ipsam reitatem, ipsum peccatum alterius, ut vice alterius fiat ipse peccator seu injustus; similiter repugnat alium pro alio puniri, saltem si vox „puniri" sumitur in sensu stricto, sic enim nihil aliud est quam subire malum in vindictam suae culpae. Sed non est impossibile, ut consentiente offenso innocens libere obligationem suscipiat, alienam injuriam reparandi et expiandi per labores et dolores, qui, si ab ipso reo subirentur, haberent rationem poenae stricte dictae. Quodsi fiat, vades ille moraliter loquendo dici potest peccatum alterius suscepisse, ac poenas ejus tulisse. Et evidens est, reum post hujusmodi satisfactionem vicariam peractam (et applicatam) a reatu culpae et poenae ita liberum esse, ac si ipse pro se satisfecisset.

Post haec apertum videtur, quo sensu intellegenda sit **156**
satisfactio vicaria Christi. Deus offensus Christum-hominem constituit mediatorem et caput morale generis humani, ut ex persona totius humanitatis injurias Deo illatas obedienti labore et dolore compensaret: hoc sensu posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Vicissim Christus-homo, ut caput ac mediator noster, propria voluntate onus illud suscepit, atque per opera poenalia, imprimis per sup-

[1] Cfr. S. Thom. Opusc. 3; *Declar. quorumd. articul. c. Graecos*, cet. c. 7 versus finem.

plicium crucis explevit: hoc sensu poenas nostras tulit [1].

Christum pro nobis satisfecisse *dogma fidei* est, uti constat e. g. ex CONC. TRID.: „D. N. J. C., qui cum essemus inimici, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit" [2].

157 *Probatur.* 1° Ex *Vet. Testam.* Apud ISAIAM de „Servo Jahve", qui Christus est, haec leguntur: „Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum... Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit" [3].

2° Ex *Nov. Testam.* **a.** JOES BAPT. Salvatorem indicat dicendo: „Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi" [4]. — **b.** Ipse CHRISTUS primo profitetur, sibi ex mandato Patris necessitatem incumbere subeundi mortem violentam [5]; deinde

---

[1] Cfr. *Rev. prat. d' Apol.* 1911, T. 13, p. 5, et *Rev. du Clergé fr. 1912,* T. 72, p. 669 et 1913, T. 73, p. 32; Rivière, *Le Dogme de la Redemption* 1914, p. 227; contra quem scripserunt: Ch. Pesch, *Das Sühneleiden des göttlichen Erlösers,* 1916. *Der Kath.* 1906 I, p. 35, 173, 266, 402, II, p. 20, 289, 372; *Etudes,* 1913, T. 135, p. 170; *Rev. Apol.* 1921, T. 33, p. 163. — [2] S. 6, cp. 7. — [3] *Isa.* 53, 4—6, 11. Legatur integer locus 52, 13; 53, 12. — Rationalistae contendunt „Servum Jahve" non esse Messiam, sed intellegendum esse vel ipsum populum Israel aut meliorem ejus partem, vel virum aliquem justum V. T. Praecipuum hujus interpretationis argumentum est opinio praeconcepta de impossibilitate verae prophetiae. Non desunt difficultates, sed **a.** re mere exegetice spectata, interpretatio messiana est saltem longe probabilior. Praeterea **b.** universa traditio, innixa Novo Testamento (*Mt.* 8, 17; *Mc.* 15, 28; *Luc.* 22, 37; *Act.* 8, 32 seq.; *I Petr.* 2, 22 seq.) locum de Messia intellexit. Cfr. Knabenb. *in Isaiam,* Condamin *in Isaiam* et *Rev. Bibl.,* 1908, p. 162; *Ned. Kath. St.,* 1905, p. 98. [4] *Jo.* 1, 29. — [5] Cfr. *Mt.* 16, 21; *Mc.* 8, 31; *Luc.* 9, 22; 12, 50; 13, 31—34; *Jo.* 10, 15—18. — [6] *Mt.* 20, 28; *Mc.* 10, 45.

aperte docet, animam seu mortem suam fore pretium redemptionis animarum, sanguinem suum effundendum esse pro multis in remissionem peccatorum: „Filius hominis venit ... dare animam suam redemptionem pro multis[6] [*λύτρον ἀντὶ πολλῶν*]". — „Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum"[1]. — c. Idem docent APOSTOLI: „Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum [= hostiam pro peccato] fecit, ut nos efficiamur justitia Dei in ipso"[2] — „Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus, cujus livore sanati estis"[3]. — „Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi"[4].

3⁰ Ex *Traditione*. Quum res in confesso sit, unus sufficiat S. POLYCARPUS: „Christus Jesus, qui pertulit nostra peccata in corpore suo super lignum, qui peccatum non fecit, propter nos, ut vivamus in ipso, omnia sustinuit"[5]. **158**

Objicitur. Doctrina de satisfactione Christi admitti nequit, nam 1⁰ supponit in Deo amorem vindictae; 2⁰ Deum injustitiae

---

[1] *Mt.* **26,** 28. Hinc vides, quo jure plures critici rationalistae asserant, ipsum Christum mortem suam minime considerasse ut satisfactoriam, sed hanc rem as. Paulo esse inventam. Gratis affirmant voces „in remissionem peccatorum" (*Mt.* **26,** 28) esse additionem posteriorem, quo genuinus sensus verborum Domini (*Mc.* **14,** 24) corrumperetur. Item frustra nituntur verba „*λύτρον ἀντὶ πολλῶν*," (*Mc.* **10,** 45) in alium sensum detorquere, ac si Christus dixisset, mortem suam fore solamen aliorum morientium (Ritschl, Wendt), aut remedium, quo apostoli a spiritu mundano quo adhuc imbuebantur (**10,** 35), liberarentur (Beyschlag), cet. Vox *λύτρον* ex usu biblico significat pecuniam, qua quis utitur ad redimendum campum (*Levit.* **25,** 24; 25, 51), servam (*Lev.* **19,** 20), captivos (*Isa,* **45,** 13), ad liberandum se ab onere debito (*Num.* **3,** 46—51), a poenis (*Num.* **35,** 3) aut morte promerita (*Exod.* **21,** 30; *Prov.* **13,** 8). Igitur incisum *λύτρον ἀντι πολλῶν* non alium sensum admittit quam hunc: animam Christi esse *pretium* quo homines *redimantur* a servitute morali, peccati scil. ac diaboli. Simul vides jure meritoque proscriptam esse prop. decreti *Lamentibili* (38): „Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica, sed tantum paulina". — [2] *II Cor.* **5,** 21. — [3] *I Petr.* **2,** 24. — [4] *I Jo.* **2,** 2. — [5] *Philip.* **8,** 1; cfr. S. Irenaeum, *Adv. haer.* V, **17,** 1; III, **18,** 6, 7.

arguit, justitia enim vetat, quominus innocens pro reo puniatur; 3⁰ contradicit Scripturae, quae docet hominem gratis justificari; 4⁰ implicat ex eo, quod Christus, qui est idem Deus cum Patre, sibi ipsi satisfecisset; satisfactio autem necessario est ad alterum.

Resp. ad 1um. Doctrina catholica minime supponit in Deo amorem inordinatum vindictae, sed solum amorem justitiae, etiam vindicativae; hic autem non malus est, sed bonus. Numquid mensuram excedit, qui exigit ut ordo violatus reparetur?

Ceterum recolligendum est, quod jam innuimus et infra magis explicabimus, ad aequivalentem satisfactionem sufficere potuisse vel minimum actum Christi-hominis. Unde ad quaestionem, quare Deus voluerit ut Christus-homo tam acerba passione, tantisque doloribus nos repararet, non est respondendum: quia secus justitiae divinae non esset satisfactum; sed responderi debet: quia si minori labore reconciliati essemus, non tam magnifice eluxisset amor Dei (et Christi) erga homines. Nonne ineffabilis charitatis argumentum est, quod Deus filium suum non solum in carnem miserit, sed etiam in mortem, mortem autem crucis; quod in cruce filii sui nobis veluti ad oculos demonstraverit malitiam peccati; quod in Christo nobis exhibuerit perfectissimum obedientiae, patientiae, fortitudinis exemplar, majora exigens a filio proprio, quam a quolibet ex adoptivis?

Penitus ineptum est quod nonnumquam dicitur: qualis Deus, qui reconciliatur hominibus, quia unicum ejus filium interemerant! Primo non nisi in sensu valde improprio dicitur, homines universos peccando Christum occidisse. Deinde Deus nemini reconciliatur propter scelus eorum, qui occiderunt Christum, sed paratus est reconciliari omnibus, ipsis etiam deicidis, propter obedientiam et charitatem Christi patientis.

159 *Resp. ad 2um.* Primum observa, minus accurate dici, Christum esse punitum; proprie dicendum est, Deum a Christo innocente opera poenalia exegisse, ut pro peccatoribus satisfaceret. Atqui id minime injustum est, si innocens ét legi-

time personam reorum sustinet, ét lubens poenas eorum suscipit. Jam poenae sumebantur a Christo, non ut erat persona privata, sed ut erat caput morale et mediator generis humani, a Deo, supremo omnium domino, ob graves rationes constitutus. Praeterea Christus munus illud ejusque expletionem non coacte, sed lubenti animo et generoso amore suscepit[1].

Resp. ad 3um. Satisfactio Christi optime conciliatur cum **160** gratuitate reparationis nostrae. Gratuita est ex parte nostra, quatenus ipsi non satisfecimus. Praeterea etiam id gratuito accepimus, ut Christum habeamus sponsorem et vadem.

Resp. ad 4um. Difficultas non solvitur ex eo, quod dici **161** soleat: Christum Deo Patri satisfecisse; nam accipere satisfactionem, etsi Patri approprietur, reapse totius Trinitatis est, ergo etiam Filii. Sed considerandum est, quod unica persona Christi, quum in duabus naturis subsistat, virtualiter et moraliter duplex est, unde potest praestare ea, quae secus a diversis tantum personis fieri possunt. Et ita persona Verbi, quatenus in natura humana subsistit, ex bonis hujus naturae satisfactionem obtulit; quatenus in natura divina subsistit, satisfactionem accepit. Analogiam quamdam habes in homine, qui simul exsistens tutor et creditor sui pupilli sibi ipsi ex bonis pupilli debitum solveret.

Pars. II. Passio Christi salutem nostram causavit **per** **162** **modum meriti.**

Sensus est, Christum ut salutem nostram operaretur, patiendo et moriendo nobis bona supernaturalia meruisse.

Meritum directe respicit bonum adipiscendum aut, ubi agitur de bono perdito, recuperandum. Definiri potest: *jus aut saltem titulus ad retributionem bonorum supernaturalium*, vel in concreto: opus cui debetur retributio supernaturalis. Si remuneratio debetur ex justitia, habes meritum de con-

[1] *Jo.* **10**, 15—18; *Hebr.* **10**, 5 seq.; *S. Th.* III, 47, 3, ad 1.

digno, meritum proprie dictum; si ex quadam decentia tantum, habes meritum de congruo [1]. Prop. de merito simpliciter seu proprie dicto intellegenda est.

Satisfactio et meritum formaliter differunt, quatenus illa immediate spectat debitum auferendum, hoc vero bonum conferendum [2]; at materialiter haud semper differunt, nam idem actus potest simul esse satisfactorius et meritorius. Et ita Christus iisdem actibus, quibus satisfaciebat, etiam meritus est.

Christus non solum nobis, sed etiam et primo loco sibi meruit, sed de bonis quae sibi meruit convenientius dicemus in *art. IV*.

Christum pro nobis hominibus meruisse *de fide* est, uti v. g. constat ex conc. trid. supra laudato [3].

163 *Probatur.* 1° Ex *s. Scriptura.* ISAIAS propheta: „Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum" [4]. — Ipse CHRISTUS: „Pro eis ego santifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate" [5]. — APOSTOLI: „Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituenter multi" [6]. — „Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae" [7].

2° *Ratione theologica.* In iis, quae Christus in carne sua mortali egit et passus est, omnes conditiones meriti verificantur. Ex parte *operantis* habes viatorem, in statu gratiae constitutum; ex parte *operis* habes libertatem [8], honestatem, supernaturalitatem; ex parte *Dei* habes promissionem retri-

[1] De merito ejusque conditionibus latius dicitur in tract. *de Gratia.* — [2] Consulto additur: *immediate* aut directe; quum enim in praesenti ordine supernaturali debitum seu reatus peccati (gravis) non auferatur nisi per infusionem gratiae sanctificantis, satisfactio indirecte causat bonum gratiae adipiscendum; et vicissim meritum indirecte causat ablationem debiti seu reitatis. — [3] S. VI, cp. 7; cfr. can. 10. — [4] *Isa* 53, 10. — [5] *Jo.* 17, 19. — [6] *Rom.* 5, 19. — [7] *Hebr.* 5, 9. — [8] Quodsi putaveris Christum in implendis iis, quae erant stricte praecepta, non nisi radicaliter habuisse potentiam eligendi inter plura, simul tenendum est, hanc libertatem radicalem sufficere ad merendum. Cfr. n° 125.

butionis [1]. His proxime conficitur Christum meruisse sibi. At vero quum Christus fuerit caput et mediator noster, opera Christi ita se habent ad universos homines, qui Christo inseruntur, sicut se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum. Et ita Christus non solum sibi, sed etiam nobis meruit [2].

Corollarium 1. Ad quaestionem *quaenam bona* Christus **164.** nobis meruerit, breviter responderi potest: omnia bona gratiae et gloriae, nam post lapsum Adae nullum donum supernaturale hominibus confertur, quod meritis Christi non debeatur: „De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est" [3]. — In specie meruit nobis: **a.** gratiam habitualem seu sanctificantem: „Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quae est in Christo Jesu" [4]. **b.** Gratias actuales, quibus ad justificationem disponimur: „Qui nos vocavit vocatione sua sancta, secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia" [5]. **c.** Gratias actuales, quibus post justificationem fructificamus et perseveramus: „Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere" [6]. **d.** Gloriam coelestem: „Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae" [7].

Corollarium 2. Dictum est, Christum meruisse per ea, **165.** quae in carne sua *mortali* egit et passus est; quum enim prima conditio meriti sit status viatoris, certum est apud omnes, eum post mortem non amplius meruisse, nec sibi nec nobis. Hinc verba S. PAULI: „qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram" [8], omnibus consentientibus non ita possunt exponi, ac si diceretur,

[1] Cfr. *Isa* 53, 10; *Hebr.* 2, 9; 12, 2. — [2] Cfr. *S. Th.* III, 48, 1, c. — [3] *Jo.* 1, 16—17; cfr. *Act.* 4, 12; *Ephes.* 1, 3. — [4] *Rom.* 3, 24. — [5] *II Tim.* 1, 9; cfr. *Ephes.* 1, 5. — [6] *Jo.* 15, 5; cfr. *Hebr.* 13, 21. — [7] *Hebr.* 5, 9; cfr. *Rom.* 5, 9; 6, 23. — [8] *Rom.* 4, 25.

Christum passione sua pro peccatis nostris satisfecisse, resurrectione vero nobis gratiam justificationis meruisse. Quinam vero sit genuinus verborum illorum sensus non ita liquet. Praeeunte Augustino [1], multi exponunt: traditus est, ut in sua morte ostenderet, quomodo nos peccatis mori debeamus; et resurrexit, ut in sua vita resuscitata esset exemplum novae vitae, quam justificati ducere debent, secundum illud: „Ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus" [2]. — Alii cum Toleto ita interpretantur: mortuus est, ut pro nobis satisfaceret et bona gratiae mereret; resuscitatus est, ut nos justitiae promeritae participes redderet, i. e. ut mitteret apostolos, qui redemptionem factam ejusque conditiones populis nuntiarent. Reapse ex ordinatione divina non nisi post resurrectionem data est generalis missio praedicandi evangelium, baptizandi, peccata remittendi; non nisi post resurrectionem Spiritus S. descendit, secundum illud: „Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus" [3].

166 *Pars III.* Passio Christi salutem nostram causavit **per modum redemptionis.**

Sensus est, Christum ut salutem nostram operaretur, patiendo et moriendo nos a servitute diaboli redemisse. Explicatur itaque specialis respectus in opere Christi, vi cujus non solum fuit reparatio injuriae et recuperatio bonorum perditorum, sed etiam liberatio per solutionem pretii.

Redemptio personis applicata generatim est actus, quo aliquis e potestate aliena in pristinam libertatem, aut sub ditione prioris domini restituitur, soluto pretio.

Igitur *redemptio generis humani* habetur in eo, quod ex captivitate et servitute diaboli erepti, in pristinam libertatem filiorum Dei restituti simus per pretium sanguinis Christi.

Quid captivitate et servitute diaboli intellegatur in tract.

[1] Serm. 231, 2. — [2] *Rom.* 6, 4. — [3] *Jo.* 7, 39. Cfr. de hac quaestione *Studiën*, t. 77 (1912), p. 269 et t. 79 (1913), p. 420.

de Deo Creatore diximus [1]. Captivitati huic opponitur libertas filiorum Dei, ille scil. status, in quo homo est filius Dei adoptivus, facultatem habens tendendi per opera meritoria ad hereditatem salutis aeternae [2]. Ut pretium redemptionis assignari solet *sanguis* Christi, qui, ut fusus a Christo atque effusus, similitudinem habet cum pretio persoluto; reapse tamen omnes actiones et passiones Christi-hominis satisfactoriae et meritoriae simul sumptae pretium redemptionis nostrae constituerunt. Cave tamen ne putes, pretium illud solutum esse diabolo [3]. Persolvendum erat non daemoni, quippe qui nihil juris proprie dicti in hominem peccatorem habebat, sed Deo, qui, peccato offensus, genus humanum captivitatem diaboli subire reliquerat [4]. Sane ad redimendum captivum, pecunia offerenda foret non custodi carceris, sed ei cujus ordinationem custos exsequitur.

Christum nos vere redemisse, constat ex quotidiana universalis ecclesiae praedicatione, quam consignavit v.g. CONC. TRID.: Christus „per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum et in regnum suum transtulit" [5].

Probatur ex *s. Scriptura.* S. PAULUS: „Misit Deus filium **167**
suum ... ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus" [6]. — „Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus" [7]. — „Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat

[1] N° **263**. — [2] Libertatem nostram, quamdiu in terris moramur, nondum esse consummatam supra dictum est (n° **146**): impugnationes diaboli, stimulum carnis adhuc experimur. — [3] Id aliqua saltem ratione affirmabat Origenes, qui etiam putabat sanguinem aut animam Christi diabolo oblatam esse. Ante Origenem nec s. Irenaeus nec alius patrum ita sensisse probatur; posteriores expresse contrarium docuerunt; e.g. s. Greg. Nazianz. (*Orat.* **45**, 22) et s. Joes Damasc. (*De fide orth.* III, **27**, 108). Cfr. J. Wirtz, *Die Lehre von der Apolytrosis*, 1906. — [4] Hinc vides, quam affines sint ratio *redemptionis* et ratio *satisfactionis*. — [5] S. **22**, cp. 1. — [6] *Gal.* **4**, 4. — [7] *Colos.* **1**, 13—14.

contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci; et exspolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso" [1]. — S. PETRUS: „Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati" [2]. — S. JOÊS: „Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes" [3]. — Huc etiam pertinent verba ipsius CHRISTI de morte sua dicentis: „Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras" [4].

168 *Pars IV.* Passio Christo salutem nostram causavit **per modum sacrificii** [5].

Sensus est, Christum ut salutem nostram operaretur, seipsum pro nobis in cruce ut veram hostiam obtulisse, a. v. eum redemptionem, satisfactionem, meritum suum complevisse per actum praestantissimum religionis, n.p. per sacrificium.

Sacrificium proprie dictum est oblatio rei sensibilis cum ejus destructione, Deo legitime facta ad supremum ejus dominium profitendum [6]. Est itaque actio symbolica, qua significatur, nos Deum agnoscere ut absolutum dominum omnium quae habemus, ita ut vel ipsam vitam nostram ei profundere deberemus. Hinc ad sacrificium non sufficit quaelibet oblatio, sed requiritur oblatio cum destructione; nam destructio rei, quam offerentes pro nobismetipsis substituimus, perfectam subjectionem nostram symbolizat.

Professio subjectionis erga majestatem divinam (significatio *latreutica*) omni sacrificio essentialis est; at in statu peccati

[1] *Colos.* 2, 14—15. — [2] *I Petr.* 1, 18—19. — [3] *Apoc.* 5, 9—10. — [4] *Jo.* 12, 31. — [5] Cfr. G. Pell, *Der Opfercharakter des Erlösungswerkes.* 1915. — [6] Haec dicta sunt ex sententia communiori, quam veriorem putamus; plures tamen et insignes theologi docent, ad sacrificium non requiri *destructionem*, seu talem mutationem, qua victima redigatur in statum pejorem, sed sufficere posse etiam aliam immutationem. Quum in confesso sit in sacrificio crucis intervenisse immutationem destructivam, controversiam hanc negligere possumus, donec in tractatu *de ss. Eucharistia* paulo uberius de sacrificio dicamus: n° 428 sequ.

haec professio sponte gignit agnitionem culpae et implorationem veniae, et ita sacrificium in statu naturae lapsae non solum latreuticum est, sed etiam *propitiatorium*, a.v. in statu naturae lapsae sacrificium offertur, non unice ut Dei dominium agnoscamus, sed insuper ut ipsa hac agnitione Deum placeamus, nobisque propitium reddamus. Hinc autem nova accedit ratio, propter quam ad sacrificium requiratur oblatio cum destructione, ut scil. simul profiteamur, nos peccando mortem promeruisse.

Porro etsi destructio sit de ratione sacrificii, non sequitur, **169**
actionem sacrificalem aequaliter sitam esse in destructione atque in oblatione. Mactatio hostiae per se sumpta potius est dispositio materiae, quam ipsum sacrificum; actio vero sacrifica reponenda est in tali oblatione, qua victimae destructio sensibiliter ordinetur ad cultum Dei. Consequenter necessarium non est, ut materialis destructio fiat ab ipso sacerdote; unde etiam in V. T. victimae aliquando ab aliis occidebantur: „Immolabitque [homo laicus] vitulum coram Domino, et offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum" [1].

His praenotatis doctrina catholica est, Christum-hominem ut mediatorem et caput generis nostri, semetipsum in cruce verum sacrificium obtulisse. Rem *definitam* habes e. g. per CONC. EPHES.: „Pontificem et apostolum confessionis nostrae factum esse Christum, divina Scriptura memorat. Obtulit enim seipsum pro nobis in odorem suavitatis. Si quis .... dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem et non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit) a. s." [2].

Probatur 1° Ex *Vet. Testamento*. In celebri vaticinio **170**
Isaiae mors Servi Jahve proponitur ut verum sacrificium

[1] *Levit.* 1, 5; cfr. *II Paral.* 30, 13—17. — [2] Denz. n° 122; cfr. conc. trid. S. 22, cp. 1 et can. 3—4.

propitiatorium. Primum dicitur: „Inglorius erit inter viros adspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum; iste [hebr. sic] asperget gentes multas" [1]. Vox יַזֶּה (asperget) in V. T. semper significat aspersionem sacrificalem, illam scil. actionem solis sacerdotibus reservatam, qua sanguis victimae effundebatur ad altare, et deinde spargebatur in personas vel res ad eas emundandas aut consecrandas. Sensus itaque est: Servus Jahve humiliatus se geret ut sacerdos, qui oblato sacrificio gentes sanguine sacrificali expiat. Quod autem *seipsum* in sacrificium offeret, mox docemur, nam descripta passione vicaria et morte violenta Servi Jahve additur: „Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum" [2]. Voc אָשָׁם (peccatum) usitatissima est ad designandum sacrificium pro peccato; unde, etsi in vertendo textu originali nonnihil differant auctores, omnes concedunt hoc versiculo enuntiari, quod Servus Domini seipsum moriendo ponet hostiam propitiatoriam [3].

171 2⁰ Ex *Nov. Testamento.* „Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam *[προσφορὰν καὶ θυσίαν]* Deo in odorem suavitatis" [4]. — „Quem proposuit Deus propitiationem *[ἱλαστήριον]* per fidem in sanguine ipsius" [5]. — „Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum [hostiam pro peccato] fecit" [6]. — „Pascha nostrum immolatus est Christus" [7]. — Eamdem doctrinam ex professo inculcat *Ep. ad Hebr.*: Omnis sacerdos debet offerre sacrificium; Christus est vere sacerdos; proinde verum sacri-

[1] *Isa* 52, 14—15; cfr. Knabenb. *In Isa.* II, p. 290—291. — [2] *Isa.* 53, 10; cfr. Knabenb. l. c., p. 319—320. — [3] Minus efficaciter ad probandam rationem *sacrificii* in morte Christi afferrentur verba: „Oblatus est, quia ipse voluit" (*Isa.* 53, 7); nam vox „oblatus est" neque in textu originali aut antiquis versionibus, neque ex mente s. Hieronymi in Vulgata sensum sacrificalem habet. Ipse Hieronymus explicat: „Qui igitur oblatus est *Pilato*, quia ipse voluit", cet. In hebr. legitur: „vexatus est et submisit se". Cfr. Knabenb. l. c. p. 306. — [4] *Ephes.* 5, 2. — [5] *Rom.* 3, 25. — [6] *II Cor.* 5, 21. — [7] *I Cor.* 5, 7.

ficium offerre debuit; hoc autem fecit semel seipsum offerendo in cruce, et unica hac oblatione omnia peccata expiavit et consummavit in aeternum sanctificatos[1].

3° Ex *Traditione*. Quum res nullam difficultatem faciat, unus sufficiat AUGUSTINUS: „Et quidem solus ille sacerdos talis exstitit, ut ipse etiam esset sacrificium; obtulit Deo non aliud quam seipsum. Non enim inveniret praeter se mundissimam rationalem hostiam, tamquam agnus immaculatus fuso sanguine redimens nos"[2].

Corollarium. Ex his omnibus facile vides, falsam esse **172** doctrinam Socinianam, secundum quam mors Christi non fuisset nisi praeparatio sacrificii, verum autem sacrificium ab eo oblatum esse, quum coelum ingressus mortem suam Patri offerret[3]. Neque verum est, quod ab adversariis fundamenti loco supponitur, n.p. pontificem V. T. verum sacrificium obtulisse, quando cum sanguine victimae sancta sanctorum ingrediebatur; haec enim caeremonia non erat nisi complementum extrinsecum sacrificii peracti.

Scholion. *Quomodo in morte Christi verificentur omnia,* **173** *quae sunt de ratione sacrificii.* — Aderat *victima sensibilis*, n. p. Christus-homo, qui in quantum mortem patiebatur et Deo offerebatur habebat rationem hostiae; in quantum vero mortem acceptabat, eamque in obsequium Dei ad ipsum placandum dirigebat, habebat rationem sacerdotis.

Adfuisse *destructionem* seu mactationem victimae apertum est; sed quaeritur, quomodo fuerit *sacrificalis*, quum non ab ipso sacerdote Christo perfecta sit. Manifestum est, quod Christus seipsum non occidit[4]; occisus est ab aliis, et hi minime actionem sacrificalem peregerunt. Considerandum

[1] *Hebr.* 5, 1—10; 7, 12—28; 9, 11—28; 10, 5—14; 13, 12. — [2] *In Ps. 26*, Enarr 2, n° 2. — [3] Cfr. *Hebr.* 9, 11—12, 24. — [4] *Aliquem occidere* dicitur, qui ei infert causam sufficientem mortis, cum intentione occidendi, effectuque secuto. Cfr. *S. Th.* III, 47, 1, c.

tamen est, quod Christus non necessitate mortuus est, sed voluntarie. Potuit enim humana Christi voluntas, ut instrumentum divinitatis conjunctae[1], ét inimicos prohibere ne causam mortis inferrent[2] ét, posita per carnifices causa mortis, efficere ut natura causae corrumpenti resisteret, ne mors sequeretur[3]. Fuit itaque effectus voluntatis Christi-hominis, quod natura violentiae illatae cedebat, et ita Salvator non solum sicut martyres mortem patienter sustinuit, sed eam potestative in se admisit. Quo fine? Ut mandatum Patris impleret[4], ut daret animam suam redemptionem pro multis[5], ut seipsum in sacrificium pro nobis offerret[6]. Verissime itaque Christus-homo sacerdos talem perfecit sui ipsius *oblationem, qua et ipsa mors violenta in obsequium Patris ordinabatur.* Neque id interne tantum fecit, sed etiam externe et *sensibiliter*, tum quia antea edixerat, se in hunc finem positurum esse animam suam[7]; tum quia „clamans voce magna ait: Pater in manus tuas commendo [παρατίθεμαι, depono] spiritum meum. Et haec dicens exspiravit"[8]. Ex eo enim quod magna voce clamans exspiravit, manifestabatur quod non necessitate, consumptis viribus, moriebatur, sed quod voluntate animam suam deponebat, deponebat autem in manus Patris[9].

Quod autem oblatio ista *legitime* facta sit, i. e. a persona competente atque secundum ordinationem legitimae auctoritatis, non est quod dicamus.

---

[1] Cfr. n° 127. — [2] Cfr. *Jo.* 18, 7 seq.; *Mt.* 26, 53. — [3] Cfr. *Jo.* 10, 17—18. — [4] *Jo.* 10, 18. — [5] *Mc.* 10, 45. — [6] *Jo.* 17, 19; *Hebr.* 10, 5—10. — [7] *Jo.* 10, 17—18; 17, 19. — [8] *Luc.* 23, 46. — [9] Cfr. *S. Th.* III, 47, 1, ad 2; *Comp. theol.* c. 230. — Hinc est quod „videns centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait: vere hic homo filius Dei erat" (*Mc.* 15, 39.)

Art. III

DE PERFECTIONE MEDIATIONIS CHRISTI

In hoc articulo ex professo declaranda est perfectio operis 174
Christi, quam supra multoties obiter ac veluti supponendo asseruimus.

Perfectio illa spectari potest tum intensive tum extensive; hinc duplex quaestio: 1ª quanti valuerit mediatio Christi; 2ª ad quosnam se extenderit.

Quum omnia, quae de satisfactione Christi dicenda sunt, etiam de merito ejus valeant, quum praeterea redemptio et sacrificium ad causalitatem satisfactoriam ac meritoriam fere reducantur, ad vitandas repetitiones de sola satisfactione loquemur.

PROP. 1. **Satisfactio Christi est ab intrinseco condigna** 175
et superabundans, imo et simpliciter infinita [1].

Quaestio de valore satisfactionis Christi misceri non debet cum quaestione, num Deus opera satisfactoria Christi *pro nobis acceptare debuerit*. Manifestum est opus Christi, dato etiam quod sit infiniti valoris, nobis nihil profuturum fuisse, si Deus illud pro nobis acceptare non voluisset. Finge Deum filium suum in carnem misisse, sed eum non constituisse mediatorem et caput morale generis nostri, opera Christi ad nos non pertinuissent. Nunc autem eo ipso quod Verbum incarnatum constituit mediatorem nostrum, etiam ordinavit ut opera illius pro nobis acceptaret (salvis utique iis, quae de necessitate applicationis supra diximus).

Hac igitur ordinatione supposita quaeritur, num satisfactio Christi fuerit ab intrinseco condigna seu sufficiens ad compensanda omnia peccata. Dico: *ab intrinseco*. Omnes enim ponunt, eam reapse, in actu secundo, sufficere apud Deum ad delenda omnia peccata, ac proinde vero aliquo sensu esse condignam. Sed pauci quidam putarunt, eam non ex se,

[1] Cfr. B. Dörholt, *Die Lehre von der Genugthuung Christi*. 1891.

sed ab extrinseco tantum sufficere, quatenus scil. misericors Deus eam, utut justo minorem, pro sufficiente accipiat. Contra sententia *communissima* tenet, opera Christi ex sese seu ab intrinseco, i. e. ut opera a tali persona, Verbo incarnato, exhibita, tanti valoris esse, ut ad compensanda secundum aequalitatem omnia peccata non solum sufficiant, sed etiam abundent. Et haec est *condignitas* et *superabundantia*, quam defendimus.

Porro ex theologis, qui intrinsecam condignitatem et superabundantiam propugnant, aliqui Scotistae[1] asserunt valorem intrinsecum operis Christi non esse infinitum. Concedunt quidem, eum nullo alio opere aequari posse, nec umquam exhauriri, proinde dici posse infinitum secundum quid, sed non simpliciter. Verum sententia *longe communior* vel etiam communissima iterum habet, satisfactionem Christi esse valoris *simpliciter infiniti*. Non quod actus humani Salvatoris secundum suam entitatem physicam fuerint infiniti, sed quia ratione personae Verbi habent aestimabilitatem seu dignitatem moralem absque ullo limite.

176 *Probatur.* 1° **Condignitas.** — *S. Scriptura* saepius dicit, passionem aut sanguinem Christi fuisse pretium, imo pretium magnum, quo empti seu redempti sumus[2]. Atqui de ratione verae emptionis est, quod pretium aequet rem emendam. Praeterea in *Ep. ad Hebr.* invicem opponuntur sacrificia V. L. quae „indesinenter" offerebantur, ac „numquam possunt auferre peccata", et sacrificium Christi, qui „una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos"[3]. Et satis patet rationem diversitatis non esse ex parte Dei acceptantis, sed ex parte offerentis et hostiae. Insinuatur itaque valorem sacrificii Christi esse sufficientem seu condignum ab intrinseco.

2° **Superabundantia.** — a. Ex *s. Scriptura*, quae docet,

[1] Mastrius aliique. De sententia ipsius Scoti disputatur; cfr. Minges, *Comp. theol. dogm. spec.* I, p. 213. — [2] Cfr. *I Cor.* 6, 20; 7, 23; *I Petr.* 1, 18—19. — [3] *Hebr.* 10, 1—14.

plus valere opus Christi in bonum, quam peccatum in malum: „Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia" [1]. **b.** Ex *Traditione*. S. CHRYSOS.: „Nam multo plura quam debebamus persolvit Christus, et tanto plura quanto stillam exiguam immensum pelagus excedit" [2].

3° **Infinitas**. — **a.** Ex *auctoritate*. CLEMENS VI docet, 177
Christum „in ara crucis non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset", sed copiosum profluvium effudisse. Deinde addit, eum ut pium patrem voluisse thesaurizare filiis suis, „ut sic sit infinitus thesaurus hominibus quo, qui usi sunt, Dei amicitiae participes sunt effecti" [3]. Negari nequit, verba „infinitum thesaurum", si in sensu obvio sumuntur, importare infinitatem simpliciter. Idem insinuat ratio indicata: unio ad Verbum. Ceterum ultro concedimus, verba non esse definitoria, defectu intentionis definiendi.

b. *Ratione theologica*. Valor actus satisfactorii et cujuscumque obsequii mensuratur ex dignitate personae operantis; atqui in Christo una tantum est persona operans, divina persona Verbi, quae est dignitatis simpliciter infinitae; ergo.

Verum est, actus satisfactorios Christi elicitive fuisse a natura humana, sed quia haec natura subsistebat in Verbo, actus ejus necessario participabant de dignitate divinitatis unitae. Et observa, aliter influere majestatem Dei offensi in gravitatem injuriae, aliter prorsus dignitatem personae operantis in valorem obsequii. Nam majestas personae injuriatae non influit in malitiam peccati, nisi mediante cognitione offendentis. Quum igitur peccator infinitam bonitatem Dei absolute quidem cognoscit, sed eam cognoscit modo finito et imperfecto, malitia peccati, etsi sit summa in genere injuriae, non est simpliciter infinita [4]. Contra majestas personae operantis directe et per seipsam dignificat operationes, et ita

[1] *Rom.* 5, 20; cfr. *Ephes.* 1, 7–8. — [2] *In Ep. ad Rom.* hom. 10, 2. — [3] *Extravag. comm.* l. V, t. 9, c. 2. — [4] Cfr. tract. *De Deo creatore*, n° 95.

infinita dignitas personae actioni tribuit aestimabilitatem simpliciter infinitam.

178 *Corollarium.* Sequitur, quaslibet actiones Christi, spectata dignitate, quam habent *ratione personae operantis*, esse aequales, imo omnes simul non habere majorem valorem quam singulas. Si tamen spectantur secundum *objectum*, et secundum *intensitatem charitatis*, qua perficiebantur, non sunt aequales.

179 **Scholion.** *Num satisfactio Christi fuerit secundum rigorem justitiae?* — De quaestione hac multum disputant auctores: alii affirmant, alii negant, alii distinguunt concedendo satisfactionem secundum justitiam, non vero secundum rigorem justitiae [1]. Responsum maxima parte pendet a modo, quo quaestio intellegatur.

Si quaerere intendas, num *totum opus reparationis nostrae*, spectatum per modum unius, proinde includens non solum opera Christi, sed etiam missionem Verbi in carnem, ejus constitutionem in esse mediatoris, cet., si quaeras, num reparatio nostra ita accepta fuerit peracta secundum rigorem justitiae, absque dubio negandum est; sic enim multa complectitur, quae misericordiae sunt ac bonitatis gratuitae.

Verum si quaeras, num *satisfactio Christi per se sumpta*, i. e. spectata consequenter ad constitutionem Christi in esse mediatoris, consequenter etiam ad omnes gratias ac dona, quae hanc constitutionem comitantur, fuerit secundum rigorem justitiae, affirmandum videtur.

180 PROP. 2. **Satisfactio Christi est universalis.**

Quaeritur ad quosnam se extendat redemptio Christi, pro quibus satisfecerit, et respondetur: pro omnibus hominibus. Vides igitur, universalitatem redemptionis Christi affirmari respectu *hominum*, minime vero respectu angelorum lapsorum.

[1] Cfr. v.g. Pesch, *Prael.* IV, n° 440 seq.; Billot, *De Verbo incarn.* thes. 51; L. Janssens, *De Deo-Homine*, pars II, p. 783; *Rech de sc. relig.* 1923, p. 193 et 397.

Hoc posito sensus prop. non est, satisfactionem Christi esse universalem quoad *sufficientiam tantum*; quum enim infiniti valoris sit, manifestum est, eam ratione sui sufficere ad salvandum non solum omnes homines, sed etiam cunctos daemones. Neque sensus esse potest, redemptionem universalem esse quoad *efficientiam ita*, ut omnes homines de facto per applicationem meritorum Christi salventur aut saltem justificentur. Sed intellegitur universalitas quantum ad *destinationem*, qua Christus satisfactionem suam pro omnibus hominibus Patri obtulit, seu, quod idem est, qua Christus passione sua obtinere voluit et reapse obtinuit, ut omnibus pararentur media de se sufficientia ad salutem.

Christum hoc sensu mortuum esse non pro solis praedestinatis, sed saltem pro omnibus fidelibus, *de fide* est contra Calvinianos et Jansenianos[1]. Eum saltem pro omnibus adultis mortuum esse, est *fidei proximum*; denique eum mortuum esse pro omnibus omnino hominibus, ergo etiam pro infantibus absque propria culpa sine baptismo decedentibus, est certa et *communis sententia*, contra Vasquez, paucosque alios.

Cum quaestio haec coincidat cum quaestione de voluntate Dei salvifica, de qua alibi ex professo dicitur, hoc loco brevem tantum probationem subjicimus, difficultates alias expensuri [2].

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura*. „Ipse est propitiatio pro peccatis 181
nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi" [3]. — „Qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium" [4]. — Deus „qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et

[1] Huc pertinet prop. 5 Jansenii damnata: „Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse: declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit: . . . haeretica". Denz. n° 1096. — [2] Cfr. tract. *De Gratia Christi*, n° 83 seq. — [3] *I Jo.* 2, 2. — [4] *I Tim.* 4, 10.

mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus" [1]. — „Si enim unius delicti multi *[οἱ πολλοὶ]* mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures [*τοὺς πολλοὺς*] abundavit" [2].

2° Ex *Traditione*. S. GREG. NAZIANZ. memorat, „Christi cruciatus, per quos omnes citra ullam exceptionem instaurati sumus, qui eidem Adamo participavimus" [3]. — S. LEO M.: „Dominus noster, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit" [4].

182 *Corollarium*. Quaeres, quo sensu Christus mortuus sit pro iis, qui tempore passionis ejus jam erant damnati? Certe non ita, ut voluerit iis tunc adhuc dari media salutis; sed eo sensu, ut, intuitu futurae mortis Christi, iis dum adhuc viverent hujusmodi media fuerint praeparata.

183 **Scholion**. *Quo sensu opus Christi angelis profuerit?* — Quaestio praecipue movetur occasione verborum s. Pauli docentis, Deum voluisse „instaurare omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt" [5]; item Deum voluisse per Christum „reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quae in terris, sive quae in coelis sunt" [6]. Imprimis admitti non potest sententia, quae Origeni tribuitur, Christum pro angelis lapsis satisfecisse ac meruisse. Hinc statim patet, verbum „reconciliare" (*ἀποκαταλλάξαι*) in angelos secundum se consideratos cadere non posse. Nihilominus boni angeli in tantum dici possunt reconciliati et pacificati per sanguinem Christi, in quantum redierunt in amicitiam cum hominibus per Christum Deo reconciliatis. Possunt dici instaurati in Christo, in quantum ruina ordinum

---

[1] *I Tim.* 2, 4—6. — [2] *Rom.* 5, 15. — [3] Orat. 33, 9. — [4] Sermo 21, *de Nativ. Dom.* 1, 1. — [5] *Ephes.* 1, 10. Graece: *ἀνακεφαλαιώσασθαι* = recapitulare, sub uno capite reducere. — [6] *Colos.* 1, 20.

angelicorum per homines redemptos instauratur [1], aut in quantum homines redempti, cum angelis in unam societatem collecti, omnes simul reducti sunt ad unum caput Christum. Licet enim Christus-homo cum angelis non communicet in natura specifica, sed solum secundum genus intellectualis naturae, licet iis (secundum communiorem sententiam) non influat gratiam et gloriam essentialem, adhuc merito vocatur caput angelorum, tum quia iis supereminet dignitate et plenitudine gratiae, tum quia eorum ministerio utitur [2], tum denique quia angeli a Christo recipiunt complementum quoddam accidentale suae beatitudinis, in quantum in eo contemplantur mysteria redemptionis, in quae desiderant angeli prospicere[3].

Art. IV

DE EXALTATIONE CHRISTI

Supra dictum est, Christum etiam sibi meruisse [4]; expo- **184**
nendum igitur est quaenam bona sibi meruit.

Communis sententia contra paucos tenet, Christum-hominem non meruisse sibi gloriam essentialem, visionem beatificam, quam statim ab initio habuit; sed meruit accidentale gloriae augmentum [5], scil. *gloriam corporis*, quam consequitur impassibilitas animae [6], et *exaltationem nominis*, i. e. agnitionem et venerationem creaturarum, secundum illud S. PAULI: „Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, *propter quod* et Deus *exaltavit illum* et donavit illi *nomen*, quod est *super omne nomen*, ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris" [7].

Christum sibi gloriam meruisse etiam alibi docemur: „Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore

[1] Cfr. S. August. *Enchir.* c. 16, n° 61—62. — [2] *Hebr.* 1, 14; cfr. S. Thom. *De verit.* 29, 7, ad 5. — [3] *I Petr.* 1, 12. Graece: *εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι.* — [4] No. 162. — [5] Cfr. *S. Th.* III, 19, 3. [6] Cfr. n° 132. — [7] *Phil.* 2, 8—11.

coronatum" [1]; — et: „Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet" [2].

Nec obstat, quod bona, quae promerita dicimus, Christo-homini etiam aliunde debebantur; manet enim quod post passionem novo titulo ei erant debita, et quod nonnisi post meritum consummatum actu erant conferenda.

Ceterum Christus gloriam promeritam per quosdam veluti gradus adeptus est, quinimo eam plenius accipere adhuc pergit, donec per ultimum judicium consummetur.

Dicemus de descensu Christi ad inferos (qui quatenus importat agnitionem et glorificationem Christi per justos V. T. ad exaltationem nominis pertinet), deinde de resurrectione, ascensione in coelum et sessione ad dexteram Patris.

185 I. **Descensus ad inferos** [3]. — *De fide* est animam Christi, a corpore solutam, per suam essentiam (et non per solam potentiam) descendisse [4] in limbum Patrum, i.e. se recepisse ad animas justorum, quae ab ingressu coeli adhuc prohibebantur, quia nondum propalata erat sanctorum via, per Christum initianda [5].

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura.* S. PETRUS docet verba psalmi: „Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem" [6], dicta esse de Christo: „Providens locutus est [Psalmista] de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem" [7].

[1] *Heb.* 2, 9. — [2] *Heb.* 12, 2; cfr. *Luc.* 24, 26. — [3] Cfr. *S. Th.* III, 52; cfr. Th. Famulus (Th. Bensdorp) *Christus' nederdaling ter helle.* 1911. Defensio est et explicatio doctrinae catholicae contra Calvinum et Calvinistas docentes, Christum passum fuisse poenas damnatorum. — [4] Cfr. *conc. later. IV,* Denz. n° 429; et cap. 18 Abaelardi ab Innoc. II damnatum, Denz. n° 385. — [5] Cfr. *Hebr.* 9, 8; 10, 20. — [6] *Ps.* 15, 10. — [7] *Act.* 2, 31; cfr. 24 seq. (ubi verba: „solutis doloribus — *ὠδῖνας* — inferni" intellegenda sunt: solutis vinculis inferni; nisi praeferenda sit lecta graeca: *λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου.*)

Idem apostolus scribit: „Christus semel pro peccatis nostris mortuus est . . . , mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo et his qui in carcere erant spiritibus veniens praedicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca" [1]. — Sensus: Christus, mortuus secundum corpus, sed vivens secundum animam, secundum animam profectus est, ut bonum nuntium peractae redemptionis ferret animabus eorum, qui tempore diluvii absque letali culpa obierant (sive quod eorum incredulitas in neglegenda praedicatione Noe non fuerit graviter peccaminosa, sive quod irruentibus aquis poenitentiam egerint) [2].

Praeterea descensum ad inferos probabilius saltem spectant tum verba CHRISTI: „Sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus" [3], tum verba S. PAULI: „Quod autem ascendit quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae" [4].

2° Ex *Traditione*. S. IRENAEUS tradit, Dominum in ea quae sunt sub terra descendisse, evangelizantem et illis adventum suum, remissione peccatorum exsistente his, qui credunt in eum" [5]. — TERTULLIANUS: „Si Christus descendit in inferiora terrarum, ut illic patriarchas et prophetas compotes sui faceret, habes et regionem inferorum subterraneam credere" [6]. — S. AUGUSTINUS: „Et Dominum quidem carne mortificatum venisse in infernum, satis constat . . . Quis ergo nisi infidelis negaverit, fuisse apud inferos Christum" [7].

Corollarium. Christus ad inferos descendens, justos ibi **186**

---

[1] *I Petr.* **3**, 18—20; cfr. **4**, 6. — [2] Non omnes s. Patres locum nostrum de descensu ad inferos intellexisse, habes ex *S. Th.* III. **52**, 2, ad 3. cfr. Bellarm. *De Christo*, l. IV, cp. 13; Hundhausen, *Das erste Pastoral-Schreiben des Petrus* (1873), p. 343. — [3] *Mt.* **12**, 40: *ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς*. Sepulchrum autem Christi vix potest vocari cor terrae. — [4] *Ephes.* **4**, 10. — [5] *Adv. haer.* IV, **27**, **2**. — [6] *De anima*, c. 55; cfr. c. 7. — [7] Ep. 146 *ad Evodium*, c. **2**, n° 3.

detentos visione beatifica donavit, quo facto tenebrosus carcer jam in paradisum mutatus est; et hoc sensu eos statim liberavit. Hinc etiam explicatur illud: „Hodie mecum eris in paradiso". Praeterea theologi, ratione convenientiae nixi, tradunt, animam Christi tamdiu mansisse apud inferos, quamdiu corpus ejus jacuit in sepulchro [1].

In antiquissima symboli apostolici forma romana (quae secundum eruditos archetypus est omnium formarum occidentalium et forsan etiam orientalium,) articulus: „descendit ad inferos" non inveniebatur. Adjici coepit, ut videtur, Aquileae saec. IV [2].

187 II. **Resurrectio corporis** [3]. — Quum de facto resurrectionis egimus in tract. *de vera Religione* [4], et de qualitatibus corporis redivivi dici soleat in *Eschatologia*, hoc loco breves esse possumus.

Corpus Christi mortuum, quod (sicut et anima) divinitati mansit hypostatice unitum, in sepulchro a corruptione seu *putrefactione liberum* fuit: „Neque caro ejus vidit corruptionem" [5].

Causa efficiens principalis resurrectionis est sola divinitas; quum autem ea quae divinitatis sunt in Christo frequenter Patri approprientur, facile patet, quare Christus saepius dicatur suscitatus a Deo, aut a Patre [6]. Nihilominus aequaliter verum est, Christum, personam scil. divinam, animam suam corpori suo iterum univisse, proinde seipsum suscitasse. Non enim sicut ceteri extraneo indigebat auxilio, inter mortuos liber. Quinimo dici potest, animam Christi, non utique sua virtute naturali, sed ut instrumentum divinitatis conjunctae, corpus

[1] Cfr. *S. Th.* III, **52**, 4. — [2] Cfr. Bardenhewer, *Gesch. d. altk. Litter.* I, p. 68; Vacant-Mangenot, *Dict. de Théol. cath.* I, p. 1663. — [3] Cfr. *S. Th.* III, **53**—**56**. — [4] N° **99** seq.; legi meretur V. Rose, *Étud. s. l. Evang.* chap. 8: Le tombeau trouvé vide. Et cfr. prop. 36 et 37 in decreto *Lamentabili* damnatae. — [5] *Act.* **2**, 31. — [6] V. g. *Act.* **2**, 24; **3**, 15; **4**, 10; *Gal.* **1**, 1.

dimissum iterum assumpsisse. Merito igitur Salvator: „Potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam" [1].

Christus ab apostolo vocatur *„primitae dormientium"*, seu **188** „primogenitus ex mortuis"[2]. Alii putant ad hoc sufficere, quod Christus resurrectione sua ceteros omnes praecesserit ordine dignitatis et cujusdam causalitatis tantum[3]. Alii verius docent, eum etiam ordine temporis ceteros omnes praecedere, quatenus nemo ante Christum ad vitam inamissibilem redierit. Nec obstant verba: „Terra mota est et petrae scissae sunt et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis"[4]. Dato enim, sanctos illos ét vere seu corporaliter resurrexisse, ét ad vitam immortalem surrexisse, dato etiam apertionem monumentorum per terrae motum factam esse, non sequitur eos ante Christum resurrexisse. Non nisi post resurrectionem Domini de monumentis exiisse dicuntur. Numquid igitur per totum illud tempus, quo corpus Domini jacebat in sepulchro, vivi in monumentis perstiterunt? Sane multo probabilius est, eorum reditum ad vitam non nisi per quamdam anticipationem cum apertione monumentorum conjungi.

Ex evangeliis docemur, Christum resurgentem *cicatrices* **189** *vulnerum* in manibus, pedibus, latere servasse, utique glorificatas[5]. Rationes exponit S. THOMAS: „Conveniens fuit, animam Christi corpus cum cicatricibus resumere, primo quidem propter gloriam ipsius Christi [in perpetuum victoriae suae triumphum]; secundo ad confirmandum corda discipulorum circa fidem suae resurrectionis; tertio ut Patri pro

[1] *Jo.* **10,** 18; cfr. 2, 9.— [2] *I Cor.* **15,** 20; *Colos.* **1,** 18; cfr. *S. Th.* III, **53,** 3. — [3] Quo sensu, vide *S. Th.* III, **56,** 1. — [4] *Mt.* **27,** 51—53; cfr. Fillion, in h. l. — [5] *Jo.* **20,** 25 seq.; *Luc.* **24,** 39—40.

nobis supplicans, quale genus mortis pro hominibus sustulerit, semper ostendat; quarto ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adjuti, propositis ejusdem mortis indiciis insinuet; postremo ut in judicio, quam juste damnentur, ibidem denuntiet" [1].

190 III. **Ascensio in coelum**[2]. — Christum secundum humanam suam naturam vere et proprie coelos ascendisse, dogma fidei est. Dicitur *ascendisse,* quia spatium atmospherae terrestris motu locali relinquens, ivit in locum coelestem, ubicumque ille sit; dicitur ascendisse „super omnes coelos"[3], quia in coelo locum dignissimum tenet, super omnem creaturam glorificatus.

Christus *propria virtute* coelum conscendit; non solum virtute divinitatis suae, sed etiam virtute humanitatis glorificatae; nam de ratione status glorificati est, quod anima possit de facili corpus ferre, quocumque velit [4]. Quum tamen haec virtus sit fructus actionis divinae in humanitatem glorificatam, ascensio rectissime tribuitur divinitati, et ita Christus, secundum quod homo, dicitur „assumptus" aut „elevatus" in coelum [5].

191 IV. **Sessio ad dexteram Patris** [6]. — Ut simul significetur distinctio personarum et aequalitas majestatis, dici potest, Verbum ab aeterno sedere ad dexteram Patris. Sed sessio ad dexteram, quam in Symbolo profitemur, respicit Christum-hominem, et locutione metaphorica significat firmam et stabilem possessionem summae gloriae, summaeque potestatis[7], quam humanitas Christi, in coelum assumpta, a divinitate accepit.

Sessio haec quatenus praedicatur, non de supposito humanitatis, sed de ipsa natura assumpta, participatam tantum gloriam importat; nihilominus etiam sic „sedere ad dexteram

[1] *S. Th.* III, 54, 4, c. — [2] *S. Th.* III, 57. — De articulo symboli „ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris" agit *Theol. prakt. Quarts.* (Linz.), 1924, p. 82, 224, 414. — [3] *Ephes.* 4, 10. — [4] *S. Th.* III, 57, 3; *Cat. conc. trid.*, p. 1, c. 7, n° 2. — [5] *Mc.* 16, 19; *Act.* 1, 9, 11. — [6] *S. Th.* III, 58. — [7] Hinc nullam difficultatem facit, quod b. Stephanus viderit „filium hominis *stantem* a dextris Dei"; *Act.* 7, 56.

Patris" est praerogativa solius Christi, tum quia nulla creatura tantam beatitudinis mensuram assequitur, tum praesertim quia nemo sanctorum aut angelorum fruitur potestate excellentiae, quae humanitati Christi competit.

Sedens ad dexteram Patris, Christus triplex munus medi- **192**
ationis suae continuat.

Continuat munus *propheticum*, dirigendo et adjuvando doctores ecclesiae ad conservandum et explicandum depositum revelationis.

Continuat munus *sacerdotale*, tum quia interpellat pro nobis, humanitatem suam vulnerum cicatricibus signatam Patri exhibendo, addita secundum nonnullos explicita supplicatione; tum quia in terris continuo seipsum offert et sacramenta ministrat per sacerdotes vicarios.

Continuat munus *regium*, tum quia praesentissimo auxilio pastoribus ecclesiae adest ad gubernandam plebem suam, tum quia singulos homines in hora mortis judicat, electosque coronat, donec in fine saeculi gloriosus apparebit in nubibus coeli, ad exercendum solemne judicium, ubi inimicos suos ponet scabellum pedum suorum, membra vero sua tradet regnum Deo et Patri, ut sit Deus omnia in omnibus [1].

Tunc demum et nos, dummodo cum electis stare meruerimus, perfecte experiemus, quantopere „gloriari oportet in cruce domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra".

---

[1] Cfr. *I Cor.* 15, 23—28.

SECTIO III

Mariologia

SIVE

de B. Maria Virgine [1]

CAPUT UNICUM

193 A Christo ejusque opere Mariam sejungere nec fides catholica sinit, nec pietas patitur. Quomodo enim tractantes de Redemptore nostro, taceremus mulierem, quae, simul cum Semine suo a limine paradisi promissa, Verbum Patris in suo utero concepit et peperit; sine qua de permagno omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus, nihil nobis, Deo sic volente, impertitur [2]; quam proinde jure meritoque unâ cum benedicto fructu ventris ejus, beatam dicunt omnes generationes.

Certe „sufficere poterat Christus, siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est, sed nobis bonum non erat, hominem esse solum; congruum magis ut adesset nostrae reparationi sexus uterque" [3].

Ex ordine dicemus de *dignitate, sanctitate, gloria et intercessione* b. Mariae.

---

[1] Speciales de b. Virgine tractatus ediderunt e. g. J. J. Bourassé, *Summa aurea de laudibus B. M. V.*, 13 vol., Paris, 1866 seq.; Fr. Morgott, *Die Marialogie des H. Thomas von Aquin*, Friburg, 1878; A. Schäfer, *Die Gottesmutter in der H. Schrift*, Monast., 1878; A. Kurz, *Mariologie*, Ratisb., 1881; J. Bucceroni, *Comment. de B. Maria V.*, Ed. 2, Romae, 1885; J. B. Terrien, *La Mère de Dieu et la Mère des hommes*, 4 vol. Paris, 1900 seq.; A. M. Lépicier, *Tract. de B. V. Maria*, Paris, 1901; v. Lehner, *Die Marienverehrung in den ersten Jahrhunderten*, Ed. 2, Stuttgart, 1886; E. Treubert, *Marie dans l'Église antenicéenne*, 1908; C. van Crombrugghe, *Tractatus de B. Maria Virgine*, 1913; E. Campana, *Maria nel dogma cattolico*, Ed. 2, Romae, 1923; L. Garriguet, *La Vierge Marie*, Ed. 5, 1924; C. Gutberlet, *Die Gottesmutter*, 1917; Drs. L. Daniels, *Theotokos*, 1923. Speciali mentione dignus est M. J. Scheeben, *Handb. der Kath. Dogmatik*, T. III, § 274—282, c. — [2] Cfr. Leo XIII, encycl.: *Octobri mense*, 22 Sept. 1891, in *Leonis XIII Allocut.* cet. (Ed. Desclée) V, p. 10. — [3] S. Bernard. *Serm. de 12 praerogat.* 1.

Art. I

DE DIGNITATE B. MARIAE

Ad dignitatem personae omnes quidem ejus praerogativae **194**
conferunt, sed imprimis munus quod implere eligitur. Maria autem electa fuit, ut Verbum Dei secundum humanam naturam gigneret, et consequenter ut suo modo ad opus reparationis nostrae concurreret. Cum maternitate divina intime connectitur virginitas corporalis, quippe quae modum dicit, quo b. Maria Verbum Dei concepit ac peperit. Hinc tres prop.: prima de Maria matre Dei, altera de Maria semper virgine, tertia de Maria nova Eva, concausa reparationis nostrae.

PROP. 1. **B. Maria vere et proprie est deipara, seu** **195**
mater Dei[1].

Nestorius, ponendo duas personas in Christo, asseruit, Mariam recte quidem vocari *Χριστοτόκον*, sed non nisi abusive aut improprie *Θεοτόκον* [2]. Dicimus igitur Mariam *vere et proprie* deiparam esse, quia **a.** *vere genuit* eum cujus mater dicitur, quippe qui non solum per eam transiit, sed carnem ex purissimo ejus sanguine accepit [3]; et quia **b.** ille, quem concepit et peperit, est *Deus in sensu proprio*. Sensus prop. utique non est, Mariam genuisse personam divinam qua talem, i.e. secundum naturam divinam, sed eam concepisse ac peperisse *personam divinam secundum humanam ejus naturam*.

Prop. est *fidei dogma* ex primo anathematismo s. Cyrilli alex. a conc. ephes. recepto: „Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem sanctam Mariam: peperit enim secundum carnem carnem factum Dei Verbum, a.s." [4]

[1] Cfr. *Eph. Theol. Lov.* 1923, p. 71. — [2] Cfr. n° 41. — [3] Cfr. n° 28—30. — [4] Denz. n° 113; cfr. n° 214 et 218.

196 *Probatur.* 1⁰ Ex *s. Scriptura.* „Licet non inveniatur expresse in Scriptura dictum, quod b. Virgo sit mater Dei, invenitur tamen expresse in Scriptura, quod Jesus Christus est verus Deus, et quod b. Virgo est mater Jesu Christi; unde sequitur ex necessitate ex verbis Scripturae, quod sit Mater Dei" [1].

2⁰ Ex *ss. Patribus* S. IGNATIUS M.: „Deus noster Jesus Christus parturiebatur a Maria" [2]. S. HIPPOLYTUS: „Deus Verbum e coelis descendit in s. virginem Mariam, ut ex ea incarnatus, salvaret Adam, qui ceciderat" [3].

Titulus *Θεοτόκος* adhiberi coepit, ut videtur, in schola alexandrina, saec. III. Certa occurrit apud Alexandrum alex. († 328), sed admodum probabile est, Origenem eum adhibuisse in suis commentariis in Ep. ad Rom. [4], quamvis in traductione satis libera Rufini, quam solam habemus, non inveniatur [5].

3⁰ *Ratione theologica.* Subjectum generationis non est natura sed persona, nam actiones et passiones sunt suppositorum; hinc nemo umquam dicitur mater alicujus naturae, sed hujus aut illius personae. Atqui suppositum quod Maria genuit est persona divina seu Deus; ergo Maria vocari potest et debet mater Dei. Dico: vocari *debet*: quum enim in Christo non sit persona humana, mater hominis vocari, proprie saltem, non potest [6].

Nec obstat, quod vox „Deus" personam Christi denominat a natura divina; quum enim nomen concretum sit, de eo promiscue praedicari possunt tum quae humanae, tum quae divinae naturae conveniunt [7]. „Si quis autem dicere velit, b. Virginem Dei matrem non debere dici, quia non est ex ea assumpta divinitas sed caro sola, manifeste vocem suam ignorat. Non enim ex hoc aliqua dicitur alicujus mater quia totum quod in ipso est ex ea sumitur. Homo enim constat

[1] *S. Th.* III 35, 4, ad 1; cfr. *Isa.* 7, 14; *Mt.* 1; *Luc.* 1; *Gal.* 4, 4. — [2] *Ephes.* 18, 2. — [3] *C. Noëtum*, 17. — [4] Cfr. Socrates, *H. E.* 7, 32. — [5] Cfr. Dr. Schweitzer, in *Der Katholik*, 1903, I, p. 97. — [6] Cfr. *S. Th.* III, 35, 1 et 4. — [7] Cfr n⁰ 77.

ex anima et corpore, magisque est homo id quod est secundum animam, quam id quod est secundum corpus. Anima autem nullius hominis a matre sumitur, sed a Deo immediate creatur. Sicut igitur cujuslibet hominis mater aliqua femina dicitur ex hoc, quod ab ea corpus ejus assumitur, ita Dei mater b. Virgo dici debet, si ex ea assumptum est corpus Dei" [1].

Scholion 1. *De modo conceptionis Christi* [2]. — Modum quo **197** b. Virgo Christum concepit, ita narrat S. LUCAS: „Respondens angelus dixit ei: Spiritus S. superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei .... Dixit autem Maria: fiat mihi secundum verbum tuum" [3]. Unde angelus apud Matthaeum: „Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est" [4]. Habetur igitur conceptio virginea, uti in prop. 2 ex professo dicemus, in qua virtus divina, Spiritui S. appropriata, egit totum id, quod per virtutem paterni seminis effici solet; b. Virgo vero omnia praestitit, quae in aliis conceptionibus praestant matres. Quid autem id praecise sit, physiologi interest, non theologi. Sequitur, Christum vel ex ipso modo conceptionis suae liberum esse a lege peccati originalis. Minime vero sequitur, Spiritum S., aut s. Trinitatem (principium enim activum conceptionis Christi proprie tota Trinitas est, Spiritus S. per appropriationem) dici posse patrem Christi secundum carnem; nam productio humanitatis Christi ex parte Spiritus S. non est generatio, neque enim erat productio ex substantia producentis, neque productio in similitudinem naturae [5].

Scholion 2. *De celsitudine matris Dei.* — Divina maternitas **198** nude et in abstracto considerata est *gratia gratis data* [6],

---

[1] S. Thom. *Comp. theol.* c. 222. — [2] Cfr. *S. Th.* III, 32. — [3] *Luc.* 1, 35—38. — [4] *Mt.* 1, 20. — [5] *S. Th.* l. c. 3. — [6] Nam opinio, quam Ripalda (*De Ente supernat.* T. II, disp. 79) „sub dubia tamen luce" propugnat, n. p. Mariam ipsa sua maternitate *formaliter* sanctificatam esse, parum probabilis est.

et *summa* in hoc genere gratiarum. Per illam b. Maria veram acquirebat *consanguinitatem* ad Filium Dei, et *maternam quamdam auctoritatem* [1] in illum; acquirebat specialem *relationem ad Deum Patrem*, de cujus foecunditate quodammodo participat, et *ad Spiritum S.*, cujus sponsa vocari potest; unde S. BERNARDUS: „Pater, inquam, tecum, qui Filium suum facit et tuum; Spiritus S. tecum, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum" [2]. Atque ex hac, si ita dicere licet, physica affinitate ad Deum, Maria habet dignitatem incomparabilem, secundum illud S. THOMAE: „B. Virgo ex hoc, quod est mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus; et ex hac parte non potest aliquid fieri melius, sicut non potest aliquid melius esse Deo" [3]. Nihilominus si divina maternitas ita *nude* consideratur, certo inferioris pretii est quam gratia adoptionis, quia plus est recte se habere ad Deum finem ultimum, quam physice cooperari ad temporalem Dei nativitatem. Hinc Christus mulieri dicenti: „Beatus venter, qui te portavit!" respondit: „quinimo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud" [4]. Et S. BEDA: „Ipsa Dei genitrix inde quidem beata, quod Verbi incarnandi ministra facta est temporalis, sed inde multo beatior, quia ejusdem semper amandi custos manebat aeterna" [5].

199 Attamen ut de celsitudine Mariae aequum efformetur judicium, munus maternitatis spectari debet, non in abstracto et separatim, sed *in concreto*, i. e. unâ cum aliis donis, quae illud connaturaliter et quasi necessario sequebantur. Sane, quum uterus Virginis non esset decenter inhabitabilis a Filio Dei, nisi

---

[1] Habebat siquidem Maria jus strictum in amorem et reverentiam Christi: sed non ita in obedientiam ejus, nam vi unionis hypostaticae Christus-homo erat superior matri suae, unde potuisset se ab ejus auctoritate emancipare, quod tamen non voluit: „Et erat subditus illis." — [2] Hom. 3 super *Missus est*, 4. — [3] *S. Th.* I. 25, 6, ad 4. — [4] *Luc.* II, 27—28. — [5] *In Lucam*, l. IV, c. 49.

ratione nitoris gratiae, quae virginis animam exornaret, ipsa electio ad maternitatem Verbi erat Mariae titulus habendi gratiam adoptionis in gradu excellentissimo. Unde maternitas divina *in concreto spectata* includit copiam gratiae gratum facientis, tali muneri correspondentem, i.e. prae gratia cujuslibet creaturae majorem. Et ita gratia divinae maternitatis est omnium omnino gratiarum, alicui purae creaturae concessarum, maxima. Hoc sensu b. ALBERTUS M., comparando gratiam maternitatis et gratiam adoptionis dicebat: „Quidquid claudit alterum in se, plus est eligendum quam illud, quod non claudit alterum in se; sed esse matrem Dei per naturam necessario claudit in se filium Dei adoptivum" [1]. Et simul patet, quare dici soleat, a munere matris Dei profluere, quidquid gratiae et gloriae invenitur in Maria.

Vix opus est monere, Virginem ad munus matris Dei gratis omnino electam fuisse; quodsi ecclesia cantat, ipsam *meruisse* portare Dominum [2], id ideo dictum est, „quia meruit *ex gratia* sibi data illum puritatis et sanctitatis gradum, ut *congrue* posset esse mater Dei" [3].

PROP. 2. **Maria fuit Virgo ante partum, in partu, 200 post partum** [4].

Perfecta virginitas tria includit: *virginitatem corporis* seu integritatem carnis; *virginitatem mentis* seu animum vitandi omnia, quae perfectae castitati repugnant; *virginitatem sensus*, i. e. libertatem a motibus concupiscentiae carnalis. Mater Domini, quae antonomastice „Virgo" dici consuevit, triplici hac virginitate praefulsit, sed in hac prop. de sola *corporis* virginitate agimus. Virginitas enim mentis includitur in immunitate Mariae a peccato, virginitas autem sensus in ejus immunitate a concupiscentia, de quibus postea.

---

[1] *Mariale*, q. 141; apud Terrien, *La Mère de Dieu*, I, 1, p. 246. — [2] E. g. in antiph.: *Regina coeli*: „Quia quem meruisti portare, resurrexit". — [3] *S. Th.* III, 2, 11, ad 3. — [4] *S. Th.* III, 28; cfr. commentarium L. Janssens, *Summ. Theol.* V, p. 225.

Propositio asserit, Mariam **a.** Filium suum non ex viro, sed absque virili semine concepisse: virgo *ante partum*; **b.** Filium edidisse non violato virginitatis sigillo, ideoque ex utero clauso: virgo *in partu*; **c.** post Christi nativitatem ab omni viri consortio abstinuisse, ac per consequens alios liberos non suscepisse: virgo *post partum*.

Virginitatem ante partum et in partu negarunt saec. II. Ebionitae et Cerinthiani, docentes Jesum ex Joseph esse genitum, quos sequuntur hodierni rationalistae[1]. Virginitatem in partu saltem negavit saec. IV Jovinianus. Servatam denique integritatem post partum eodem saec. IV infitiati sunt Helvidius et nonnulli Arabes, quos s. Epiphanius Antidicomarianitas appellat. Hodie praecipue impugnatur a Th. Zahn, viro protestante, ceteroquin de studiis biblicis optime merito[2].

Prop. quoad triplicem suam partem *de fide* est ex manifesta praedicatione ecclesiae universalis, quam testatur e. g. CONC. LATERAN. a. 649 sub Martino I: „Si quis non confitetur, Dei genitricem sanctam semperque virginem Mariam absque semine concepisse ex Spiritu S., et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit"[3].

201 *Probatur* pars I: Virginitas *in conceptione*.

1° Ex *prophetia Isaiae*: „Dabit Dominus ipse vobis signum: ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel"[4]. Missis iis, quae contextum respiciunt,

[1] Unde nonnulli avide arripuerunt singularem quamdem lectionem *Mt.* 1, 16 in codice *Syro-Sinaitico*, quem a° 1892 detexit Agnes Smith-Lewis. Cfr. *De Katholiek*, T. 109, (1896) p. 1 et T. 137 (1910) p. 448. — [2] Cfr. L. Fonck, *Moderne Gegner Mariae*, in *Zeits. f. kath. Theol.* 1901, p. 649. — [3] Denz. n° 256. — [4] *Isa.* 7, 14; cfr. Knabenb. in h. l.; Calès in *Rech. de sc. rel.* 1910, p. 161; Vigouroux, *Dict. de la Bible*, in voce: *almah.*, I, p. 390 et v. Hoonacker in *Rev. Bibl.* 1904, p. 213, qui supposita emendatione textus ita vertit: „Voici que l' Alma est enceinte et enfante un fils et elle appellera son nom Emmanu El. Il mangera du beurre et du miel, quand il saura dédaigner le mal et choisir le bien, car avant que l'enfant sache dé-

ostendere debemus, tum prophetiam *agere de Christo ejusque matre*, tum eam intellegendam esse de virgine concipiente et pariente *in sensu composito*, i.e. de adulescentula, quae concipiendo et pariendo virginitatem non amittit.

Primum constat **a.** ex nomine Emmanuel (Nobiscum-Deus) atque ex iis, quae apud Isaiam de filio virginis praedicantur, n. p. quod ipsius sit terra Judae, quae alibi terra Domini vocatur [1]; quod devincit omnes inimicos populi Dei [2]; quod vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis [3]; quod sedebit super thronum David [4], et regnum universale pacis ac justitiae initiabit [5]; quae omnia aperte futurum Messiam indicant. — **b.** Ex authentica interpretatione evangelistae, qui narrata conceptione Christi adjicit: „Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: ecce virgo" [6] cet. — **c.** Ex eo, quod nemo alius assignari potest, in quem prophetia caderet. Neque enim de filio Achaz, neque de filio Isaiae intellegi rationabiliter potest. Hinc opusculum prof. Isenbiehl, contra universam traditionem asserentis, prophetiam nostram neque in sensu literali, neque in sensu mystico de Christo accipiendam esse, a Pio VI condemnatum est [7].

Alterum, scil. textum intellegendum esse de virgine concipiente et pariente in sensu composito, probatur **a.** ex sensu obvio verborum, praesertim in textu originali, qui habet: ecce virgo concipiens et pariens, cet. Quidquid sit de etymologia, vox עַלְמָה in Scriptura semper adhibetur de virgine proprie dicta, numquam de adulescentula nupta [8]. Porro

daigner le mal et choisir le bien, le pays sera abandonné. Parce que tu es saisi de terreur, toi, devant les deux rois, Jahve amenera sur toi . . . le roi d'Assur" . . . — [1] *Is.* **8**, 8; cfr. **14**, 2, 25; **36**, 18, 20. — [2] *Is.* **8**, 9 seq. — [3] *Is.* **9**, 6. — [4] *Is.* **9**, 7. — [5] *Is.* **11**. — [6] *Mt.* **1**, 22. — [7] Breve: *Divina Christi voce*, 20 Sept. 1779. — [8] Nec obstat *Prov.* **30**, 19 (hebraice); nam sensus esse videtur: difficulter exploratur, num puella, quae se virginem exhibet, reapse virgo sit (Le Hir, *Études*, I, 66), aut difficulter exploratur, qua via vir perveniat ad seducendam

quum voci huic apponantur duo participia (praesentia), sensus naturalis absque dubio est: adulescentula quae concipiens et pariens virgo manet. Et additur articulus, ut emphatice designetur virgo quaedam singularis, quae est unicum quid in genere suo. — **b.** Ex intentione prophetae, qui „signum" dare voluit. Virgo autem, quae integritatem amittendo concipit ac parit, nihil extraordinarii habet. — **c.** Ex interpretatione evangelistae testantis, prophetiam impletam esse in Maria, quae „antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu S." [1]

202 2⁰ Ex *Evangeliis* s. Matthaei et s. Lucae, quae conceptum virginalem aperte continent: *Mt.* **1**, 18, seq.; *Luc.* **1**, 26 seq. cfr. **3**, 23. Contendunt quidem critici rationalistae, doctrinam nostram non esse traditionem primitivam, sed hac in re non rationibus criticis, sed praeconceptis opinionibus nituntur. Dicunt: **a.** s. Paulum, s. Marcum, s. Joannem conceptum virginalem non narrare; quod verum est, sed nihil probat, quum doctrinam nostram haud excludant. Praeterea observare liceat, s. Paulum scripsisse: „misit Deus filium suum factum ex muliere" [2]; s. Marcum dicterium Nazarenorum (quod apud Matthaeum legitur: „Nonne hic est fabri filius"? et apud Lucam: „Nonne hic est filius Mariae") referre hoc modo: „Nonne hic est faber, filius Mariae" [3]. S. Joannes autem, qui evangelia Matthaei et Lucae certe cognovit, nativitatem virginalem, nisi eam admisisset, ex professo excludere debuisset. — Dicunt **b.** rem nostram esse inventionem ethnico-christianorum; quibus idea generationis ex deo et femina, genio judaico prorsus adversa, familiaris erat. Sed contra est, quod „evangelium infantiae" [4] tam clare indolem judaeo-palaestinensem manifestet, ut omnino praesumendum sit, Lucam, virum antiochenum, cultura graecum, in eo conscribendo

virginem, more orientali tam caute custoditam (Dr. Brouwer, in h. l). — [1] *Mt.* **1**, 18—23. — [2] *Gal.* **4**, 4. — [3] *Mt.* **13**, 55; *Luc.* **4**, 22; *Mc.* **6**, 3. — [4] *Luc.* **1—2**.

fontem judaeo-christianum, eumque antiquum secutum esse. — Dicunt **c**. Lucam fontem primitivum quidem, sed ebioniticum adhibuisse, eique conceptionem virginalem intexuisse. Sed argumenta (interna tantum), quibus hujusmodi interpolationem suadere nituntur, nullius valoris sunt. Adversarii aperte utuntur circulo; ut suadeant fontem evangelistae conceptionem virginalem nondum continuisse, tamquam certum supponunt, primaevos christianos in sententia ebionitarum fuisse; vicissim ad probandam mentem ebioniticam ecclesiae primitivae provocant ad fontem antiquum, conceptu virgineo adhuc carentem[1].

3⁰ Ex *Traditione*, quae apertissima est; habes enim s. Ignatium[2], Aristidem[3], s. Justinum[4]; diversas formas symboli apostolici[5], unde ipse Harnack, acerrimus dogmatis nostri impugnator, scribit: „saeculo II christiani ex gentibus illud, ut videtur, unanimiter profitebantur"[6]. — *Rationes convenientiae* vide apud s. Thomam[7].

Objicitur. Matthaeus et Lucas, ut ostendant Christum esse **203**
filium David et Abraham, tradunt genealogiam Joseph[8]; videntur igitur innuere Christum esse filium Joseph.

Resp. Quum uterque evangelista aperte doceat, Christum natum esse ex virgine, certo certius tradendo genealogias non voluerunt insinuare, Joseph esse patrem Christi verum seu naturalem. Quare autem generationum seriem ad Joseph perduxerint, difficultas exegetica est, quae solvi solet hoc modo.

a. Quia Christus natus est stante vero matrimonio Virginis

[1] Cfr. Rose, *Étud. s. l. Évang.* chap. 2; Lagrange, *Le récit de l'enfance de Jésus dans S. Luc.* in *Rev. Bibl.* 1895, p. 160; Bardenhewer, *Mariä-Verkündigung* in *Bibl. Stud.* t. x. — [2] *Smyrn.* **1**, 2; *Ephes.* **19**, 1. — [3] *Apol. II.* — [4] *Apol. I*, **22** et **33**; *Dial. c. Tryph.* 100. — [5] Denz. n⁰ 1—12. — [6] *Dogmengesch.* I³, p. 96. — [7] *S. Th.* III, 28, 1. — [8] *Mt.* 1; *Luc.* **3**, 23 seq. Nonnulli exegetae putant, genealogiam apud s. Lucam non esse Josephi sed ipsius Mariae; at contraria opinio est communior et videtur praeferenda. — Cfr. P. Hetzenauer, *De genealogia Jesu Christi secundum Matthaeum et Lucam*, Romae, 1922; *Zeits. f. k. Theol.* 1923, p. 184; *Theol.-prakt. Quarts*, (Linz) 1919 p. 540.

cum s. Joseph, Joseph vi hujus matrimonii vere erat pater Jesu, non utique naturalis, sed *legalis atque civilis*. Joseph, ait a Lapide, per conjugium corporis b. Virginis quasi dominus effectus est, ergo et fructus corporis b. Virginis ad eum pertinuit, sicut seges supernaturaliter nata in agro meo sterili, mea esset [1]. Et haec relatio sufficiebat, ut Christus, praesertim secundum modum concipiendi judaeo-christianorum, filius David diceretur. Paternitas legalis, quae nobis parvi momenti esse videtur, apud Israelitas (matrimonium leviratus) fere aequivalebat paternitati naturali [2].

b. Per genealogiam Joseph simul constabat de tribu et familia Mariae; haec enim erat filia heres (uti veteres tradunt et s. Lucas [3] insinuat), ac propterea non nisi ejusdem familiae viro nubere poterat [4].

Evangelistae igitur tradendo genealogiam Joseph ostenderunt, Christum tum carnaliter, tum legaliter esse filium David, quin recederent a consuetudine Scripturae, quae non solet mulierum genealogias texere.

204 *Dices:* nonne genealogiae ad Joseph perductae, quas evangelistae utique ex suis fontibus desumpserunt, favent hypothesi supra rejectae de charactere ebionitico fontium? Minime. Si ipsi evangelistae susceptionem harum genealogiarum cum fide conceptionis virgineae componere potuerunt, quare fontes idem facere non potuissent? Quinimo si evangelistae, uti critici ponunt, narrationibus suis antiquiorem traditionem

[1] Quo sensu Christus fuerit *fructus matrimonii* inter Virginem et s. Joseph, ita explicat s. Thomas: „Proles non dicitur bonum matrimonii solum in quantum per matrimonium generatur, sed in quantum in matrimonio suscipitur et educatur; et sic bonum illius matrimonii fuit proles illa et non primo modo. Nec tamen de adulterio natus, nec filius adoptivus, qui in matrimonio educatur, est bonum matrimonii, quia matrimonium non ordinatur ad educationem illorum, sicut hoc matrimonium fuit ad hoc ordinatum specialiter, quod proles illa susciperetur in eo et educaretur. (*In IV Sent.* d. 30, q. 2, a. 2. ad 4.) — [2] Cfr. Lagrange, l. c. p. 174. — [3] *Luc.* 2, 4—5. — [4] *Num.* 36, 6—8.

ebioniticam impugnare atque excludere voluissent, certe majorem cautelam adhibuissent, genealogias aut eliminando aut immutando. Et ita ipsa susceptio simplex et candida genealogiarum, quales de facto sunt, ostendit, in antiquissima ecclesia nullum dubium, nullam controversiam de ortu virgineo Salvatoris exstitisse.

Probatur pars II: virginitas *in partu.* **205**

1⁰ Ex eodem *Vaticinio Isaiae*, qui matrem Emmanuelis non solum virginem praegnantem, sed etiam virginem parientem exhibet.

2⁰ Ex *Evangelio*, quod rem nostram saltem insinuare videtur dicendo: „Peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio" [1].

3⁰ Ex *Traditione*, quae semper habuit Christum *natum* esse ex virgine [2]. Jam in quibusdam apocryphis ante saec. II explicite memoratur [3]. Verum est Tertullianum et Origenem, ut contra Docetas veritatem carnis Christi facilius defenderent, incaute dixisse, Mariam pariendo integritatem corporis amisisse [4]; sed hanc sententiam diserte excludit Clemens alexand. [5], quem postea omnes orthodoxi sequuntur [6].

Corollarium. Partus virgineus est *partus sine dolore.* „Dolor **206** parturientis, ait s. Thomas, causatur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur. Dictum est autem, quod Christus est egressus ex clauso utero matris, et sic nulla violenta apertio meatuum ibi fuit, et propter hoc in illo partu nullus

[1] *Luc.* 3, 7. Monet tamen Knabenbauer (in h. l.), ne argumentum ex textu allato urgeatur, quia mulieres in regionibus calidioribus multo facilius parere dicuntur. — [2] Cfr. e. g. s. Ignat. *Smyrn.* 1, 2; s. Justin. *Apol. I*, 22; *Symb. apost.* apud Denz. n⁰ 1—12. — [3] Cfr. *Ascensio Isaiae*, cap. 11; *Proto-evang. s. Jacobi*, cap. 19—20. — [4] Tertull. *De carne Christi*, 23; Origen. *Hom. 14 in Lucam.* — [5] *Strom* I. VII (c. medium), Ed. Colon. 1688, p. 756. — [6] E. g. s. Ambros. *Tract. in Symb. apost.* 12; *Ep.* 63, n⁰ 33; s. August. *Enchir.* c. 10, n⁰ 34; *Serm.* 186, n⁰ 1; 215, n⁰ 3: s Proclus, *Orat. I* in s. *Dei genitricem*, 10.

fuit dolor, sed fuit ibi maxima jucunditas ex hoc, quod Homo-Deus est natus in mundum" [1].

Quodsi Patres aliquando de adapertione vulvae loquuntur, adhibent locutionem biblicam [2], quae licet a modo naturali pariendi desumpta sit, non materialiter accipienda est, sed ita ut solam veritatem nativitatis ex b. Maria exprimat. Eodem modo terminus oppositus „claudere vulvam" non materialiter sumitur, sed simpliciter sterilitatem aut finem pariendi significat [3].

207 *Probatur* pars III: virginitas *post partum.*

1° *Scriptura* rem innuit, nam verba: „Quoniam virum non cognosco" [4], aut votum, aut ad minus firmum propositum Mariae servandi virginitatem exprimunt. Neque Christus moriens de Joanne dixisset: „Mulier, ecce filius tuus" [5], si Maria alios filios habuisset."

2° *Traditio* unanimis patet ex eo, quod Maria ab antiquissimis temporibus vocata fuit „virgo" simpliciter et „semper virgo": ἀειπαρθένος. Hinc ss. Patres oppositam sententiam, quoties eam tangunt, non sine stomacho ut blasphemam, insanam, sacrilegam, impiam repellunt [6]. — *Rationes convenientiae* habes apud s. Thomam [7].

208 **Objicitur 1.** Ipsa Scriptura insinuat, b. Mariam postea a Joseph cognitam fuisse, aliosque liberos peperisse: „Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, *antequam convenirent* inventa est in utero habens de Spiritu S.... Et non cognoscebat eam, *donec* peperit filium suum *primogenitum*" [8].

Resp. **a.** — „*Antequam convenirent*" (συνελθεῖν) hic significat,

---

[1] *S. Th.* III, 35, 6, c. — [2] Cfr. *Luc.* 2, 23. — [3] Cfr. Hurter, *Comp. Theol.* II[8], n° 610. — [4] *Luc.* 1, 34. — [5] *Jo.* 19, 26; cfr. Chrysost. *Hom. 5 in Mt.* n° 3. — [6] Cfr. Hurter, l. c. n° 611; Denz. n° 91; S. Hieronymus, *De perp. virgin. b. Mariae adv. Helvidium.* — [7] *S. Th.* III, 28, 3. — [8] *Mt.* 1, 18, 25; cfr. *Luc.* 2, 7.

Mariam et Joseph tempore incarnationis nondum in eadem domo cohabitasse, quod postea fecerunt [1]. Quodsi „convenire" minus probabiliter de congressu maritali intellegatur, applicanda est responsio sequens.

b. — Particula *„donec"*, aliaeque similes, in Scriptura saepius ita adhibentur, ut nude exprimant quid factum non sit ante terminum assignatum, quin concludere liceat id postea accidisse [2]. Ita et hic, ubi scopus evangelistae erat ostendere Christum non fuisse conceptum ex Joseph, minime vero narrare ulteriorem vitam Mariae.

c. — *„Primogenitus* est non tantum post quem et alii, sed ante quem nullus" [3]. Et usum vocis explicat lex mosaica de primogenitis.

Objicitur. 2. Ipsa Scriptura *fratres et sorores* Domini memorat [4]. **209**

Resp. **a.** — Voces *frater* et *soror* in Scriptura saepius latiori sensu adhibentur pro consanguineis aut cognatis [5]; et ita universa traditio locos, qui de fratribus aut sororibus Domini agunt, intellexit. Revera nemo umquam praeter Jesum „filius Mariae" [6] vocatur.

b. Quaenam personae nomine *sororum* Domini venerint, Scriptura non indicat; fratres autem quattuor nominantur, scil.: Jacobus et Joseph et Simon et Judas [7]. Nonnulli patres antiquiores, evangeliis apocryphis Jacobi et Petri fidentes, eos habuerunt filios s. Joseph, ex uxore quam ante b. Virginem duxisset. Sed haec opinio inde a s. Hieronymo penitus derelicta est. Remanet igitur duplex opinio principalis. *Prior* supponendo Clopam (Cleopham) et Alphaeum eandem esse personam, contendit quattuor viros praedictos ortos esse ex

[1] *Mt.* 1, 20 et 24. — [2] Cfr. *Gen.* 8, 7; *II Reg.* 6, 23; *Ps.* 109, 1—2; s. Hieron. *Adv. Helvid.* 6. — [3] S. Hieronym, l. c. 12; cfr. *S. Th.* III, 28, 3, ad 4. — [4] V. g *Mt.* 13, 55; *Mc.* 6, 3; cfr. A. Durand, *L'enfance de Jésus Christ, suivie d'une étude sur les frères du Seigneur*, 1908. — [5] Cfr. v. g. *Gen.* 13, 8; 14, 16; 29, 15; *Cant.* 4, 9. — [6] *Mc.* 6, 3. — [7] *Mc.* l. c.

matrimonio Clopae = Alphaei et illius Mariae, quae soror matris Domini appellatur [1]. Et plerique ex Hegesippo [2] putant, Clopam fuisse fratrem b. Joseph; alii existimant Mariam, uxorem Clopae, fuisse germanam sororem b. Virginis; alii utrumque simul sustinent. *Altera* opinio, quam multi recentes sequuntur, identitatem Clopae et Alphaei negando, docet b. Joseph habuisse fratrem Clopam et sororem Mariam, quam duxit Alphaeus. Jam Simon et Judas habentur filii Clopae, Jacobus vero et Joseph filii Alphaei et Mariae [3]. Nuper cl. van Kasteren, huic opinioni quoad substantiam adstipulando, opinatus est, Mariam uxorem Alphaei habendam esse filiam, non sororem Clopae [4].

210 **Scholion.** *De voto virginitatis B. Mariae et de ejus cum s. Joseph matrimonio.* — Ex verbis: „Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco" [5], omnino constat, Mariam habuisse firmum propositum servandi virginitatem; praeterea plures Patres, quos theologi communiter sequuntur, inde colligunt eam virginitatem vovisse; ita e. g. S. AUGUSTINUS: „Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset" [6].

[1] *Jo.* 19, 25. — [2] Apud. Euseb. *H. E.* III, 11. — [3] Cfr. Calmes, *L'Evangile selon S. Jean*, p. 175. — [4] Cfr. *Studien*, t. 65, p. 187. De hac quaestione cfr. Durand, *L'Enfance de Jésus-Christ*, p. 219. — [5] *Luc.* 1, 34. Minus recte, ut videtur, concionatores ex verbis laudatis inferunt, Mariam maternitati divinae renuntiare voluisse, si hanc cum virginitate componere non potuisset. Aliter omnino mentem Virginis explicat s. Bernardus: „Non quaerit an fiet istud, sed quomodo. Quasi dicat: cum sciat Dominus meus, testis conscientiae meae, votum esse ancillae suae non cognoscere virum; qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud? Si opportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, et gaudeo de filio et doleo de proposito: fiat tamen voluntas ejus. Sin vero virgo concipiam, virgo et pariam, quod utique si placuerit ei impossibile non erit, tunc scio vere, quia respexit humilitatem ancillae suae" (*Hom. 4 super Missus est*, n° 3). — Revera longe perfectior dispositio est; velle virginitate carere ut voluntas Domini impleatur, quam divino beneplacito virginitatem praeferre. Cfr. Scheeben, *Kath. Dogmatik*, III, p. 483; L. Janssens, *Summa theol.* V, p. 361. Opinionem contrariam defendit Lépicier, *Tract. de B. V. Maria*, p. 287. — [6] *De s. Virginitate* c. 4.

Et censet s. Thomas, Mariam votum illud primum in corde suo emisisse sub hac conditione: si ita Deo placeret; eam deinde secundum quod mores illius temporis exigebant, et instigante praesertim Spiritu sancto, matrimonium iniisse cum Joseph, de quo aut naturaliter aut supernaturaliter sciret, quod in eodem castitatis proposito esset; eam denique contracto matrimonio, sed ante annuntiationem, votum suum simul cum s. Joseph emisisse absolute [1].

Quidquid est, inter Mariam et Joseph verum exstitit **211**
matrimonium ratum [2]; quod jam contractum erat ante annuntiationem, quamvis tunc b. Virgo nondum solemniter in domum Joseph fuerit deducta [3]. Nihilominus usus habet, ut Joseph fere semper dicatur *Sponsus* b. Virginis, tum quia evangelistae nomine desponsationis utuntur, tum potissimum ut omnis suspicio carnalis commercii efficacius removeatur. Et haec etiam ratio est, quare s. Patres aliquando adhibent modos loquendi, qui, nisi ex sollicitudine excludendi copulam maritalem exponantur, verum matrimonium inter Mariam et Joseph negare viderentur. Ita v. g. S. BERNARDUS in illud: „Joseph autem vir ejus", ait: „Virum nominat, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat. Vel potius, quia juxta alium evangelistam non vir simpliciter, sed vir ejus dictus est, merito appellatur, quod necessario putatur" [4].

Rationes convenientiae, quare Christus nasci voluerit ex **212**
virgine desponsata, ita breviter exhibet idem S. BERNARDUS: „Necessario igitur desponsata est Maria Joseph, quando per hoc et a canibus sanctum absconditur, et a sponso virginitas comprobatur, et Virginis tam verecundiae parcitur, quam

[1] *S. Th.* III, 28, 4; cfr. *In IV Sent.* d. 30, q. 2, a 1. — [2] *S. Th.* III, 29, 2. — [3] Cfr. *Mt.* 1, 16 seq. — Saepe dicitur, b. Virginem ante annuntiationem *desponsatam* tantum fuisse, sed ex more Judaeorum sponsis jam fuisse jus ad copulam maritalem. Optime; et ita facile explicatur modus loquendi evangelistarum, sed si rem quaeras, non nomen, talia sponsalia matrimonia sunt. — [4] *Hom. 2 super Missus est*, n°. 15.

famae providetur. Quid sapientius, quid dignius divina providentia? Uni tali consilio secretis coelestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama virginis matris" [1].

213 PROP. 3. **B. Virgo est nova Eva, in negotio reparationis Christo associata, sicut olim in negotio lapsus Eva consociabatur Adamo** [2].

Dignitatem ac munus b. Virginis haud recte aestimaret, qui teneret, eam ad redemptionem nostram physice tantum concurrisse, gignendo et alendo Christum salvatorem; concurrit etiam *moraliter, per actus liberos*, et ita quidem, ut in negotio restitutionis humanae eum fere locum teneat, quem in ruina generis nostri gessit Eva.

Stricte loquendo solus Adam peccato suo nos perdidit; nam si sola Eva peccasset justi nasceremur, si Eva non peccasset adhuc peccatores essemus, nec quidquam labi, quacum nascimur, addidit culpa Evae. Nihilominus Eva de facto ruinae nostrae cooperata est, et quidem humano modo, per actus deliberatos, quibus angelo malo acquievit, inobedientiae peccatum commisit, et virum ad peccandum induxit. Potuissemus prolabi absque interventu Evae, sed reapse non sumus prolapsi sine illa: de facto actus liberi Evae ruinam nostram causarunt, non quidem perfective, sed dispositive. Hinc Eva dici debet concausa lapsus nostri, et saepius, minus accurate quidem, sed in sensu omnibus noto, simpliciter vocatur causa ruinae, intellegendo scil. causam occasionalem et dispositivam.

214 Porro dicendo Virginem esse alteram Evam, intendimus Mariam eodem fere modo Christo cooperatum esse ad reparandum genus humanum, quo prima Eva Adae cooperabatur ad perdendum illud. Sane solus Christus est mediator noster

[1] L. c. n°. 13; cfr. *S. Th.* III, 29, 1. — [2] Cfr. hac de re Card. Newman, *A Letter to Pusey on his recent Eirenicon*, 1866, et Terrien, *La Mère de Dieu et la Mère des hommes*, II, 1, pag. 3 seq.

principalis et perfectus (n⁰ 142), solus Christus condignam satisfactionem obtulit et gratiam de condigno promeruit, nec quidquam valoris satisfactioni aut merito Christi adjecit Maria. Quum tamen voluntas Dei haberet, ut opus restaurationis imitaretur opus perditionis, decretum fuit, ut novo Adae sociaretur nova Eva. Hinc reparationi generis humani cooperari debuit Maria, non tantum per modum instrumenti physici, sed etiam moraliter, ut causa libera. Cooperata autem est in eo, quod angelo altissimum mysterium nuntianti libere credidit, quod in conceptionem Verbi obediendo consentivit[1], quod proinde libere ac meritorie sacerdotem simul et hostiam redemptionis nostrae carne vestivit, lacte aluit, multis curis enutrivit.

Dixi, reparationi nostrae cooperari debuisse Mariam; non utique ac si reparari per Deum absque interventu Virginis non potuissemus, sed quia decretum Dei habuit, ut reapse non restauraremur sine ejus cooperatione. Igitur vero aliquo sensu actus liberi Virginis reparationem nostram causarunt, non perfective sed dispositive. Et ita Virgo, quin meritis aut honori Christi quidquam detrahatur, salutari potest ac debet *concausa* salutis nostrae et *mediatrix* nostra, secundaria scil. et subordinata[2].

---

[1] Liberam hanc cooperationem exprimunt Patres, quando dicunt, b. Virginem Verbum prius mente concepisse quam corpore. Quinimo Leo XIII, s. Thomam secutus, docet, Deum exspectando consensum Virginis, ipsius humani generis consensum quodammodo exspectasse. Legitur etenim in Encyc.: *Octobri mense,* 22 Sept. 1891: „Filius Dei aeternus, quum ad hominis redemptionem et decus hominis naturam vellet suscipere, eaque re mysticum quoddam cum universo humano genere initurus esset connubium, non id ante perfecit quam liberrima consensio accessisset designatae matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo agebat, ad eam illustrem verissimamque Aquinatis sententiam: „Per annuntiationem exspectabatur consensus Virginis, loco totius humanae naturae". *(S. Th.* III, **30**, 1 c.) — [2] In eumdem sensum subinde adhibetur titulus *corredemptrix;* cfr. v. g. Decr. s. Officii in *Act. ap. Sed.* V (1913) p. 364.

Ceterum asserendo s. Virginem esse novam Evam, minime intendimus completam adstruere similitudinem. Praecipua autem differentia est, quod Eva ex seipsa tantum, solaque voluntate propria lapsui cooperata sit, Maria vero libere quidem et meritorie, sed ex gratia Dei, eaque propter merita futuri Redemptoris accepta, ad opus reparationis concurrit. Differentia sane maxima, sed pro subjecta materia plane necessaria: ex homine enim perditio, sed ex Deo salus!

215 *Probatur* 1⁰ Ex *s. Scriptura*, n. p. ex protoevangelio (collato cum *Luc.* 1, 26—38, 42): „Ait dominus Deus ad serpentem: quia fecisti hoc ... inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa [*hebr.* ipsum] conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus" [1].

Sensus. Quaerimus sensum, non quem protoparentes olim intellexerunt aut intellegere potuerunt, sed eum quem

[1] *Gen.* 3, 14—15. Loco „ipsa conteret" textus hebraicus habet הוּא *ipsum*, versio LXX: *ipse*, personificando semen; quibus consentiunt aliae versiones antiquae. Forma feminea Vulgatae ipsum s. Hieronymum auctorem non habet (cfr. *Quaest in Gen.* in h. l.); sunt qui putant eam postea in Vulgatam irrepsisse, alii melius asserunt, Hieronymum eam, nescio qua de causa, ex veteri Itala retinuisse. Quamvis igitur lectio *ipsa* critice non consistat, nec proinde ut argumentum scripturisticum afferri queat, attento modo quo semper ab ecclesia intellegebatur, haud substantialiter mutat sensum protoevangelii. Sane nemo umquam textum Vulgatae ita accepit, ac si mulier immediate per seipsam opus diaboli destruxisset. Quod autem cum suo semine et per suum semen antiquum serpentem devicit, etiam textus primigenius satis significat. Quare enim Deus tam emphatice serpenti annuntiasset inimicitias mulieris, si victoriae seminis sui communicare non debuisset? Idem insinuat parallelismus: quemadmodum ad poenam Evae pertinet esse sub potestate viri, quem seduxit, ita ad poenam serpentis facit conteri a muliere, quam seduxit. Differentia igitur lectionis latinae et primigeniae haec est, quod illa diserte exprimit communionem mulieris cum suo semine in triumpho, haec vero potentiam absolutam seminis directe affirmat.

Loco *conteret* et *insidiaberis* textus hebraeus bis utitur eodem verbo שׁוּף, unde s. Hieronymus vertendum putavit: „ipse conteret caput tuum, et tu conteres calcaneum ejus" (l. c.). Nihilominus lectionem

posteriores prophetiae, ipsa impletio, et interpretatio ecclesiastica magis magisque aperuerunt.

Verba diriguntur ad serpentem ut organum diaboli, proinde ad ipsum diabolum. *Semen serpentis* sunt quotquot diabolus perversa suggestione, quasi spirituali quadam generatione, similes sibi efficit, homines scil. quatenus peccatores sunt, seu verius, ut puto, ipsum peccatum in hominibus. *Semen mulieris* ille est, qui sua virtute opus diaboli destruxit: Christus dominus, cui, utpote nascituro ex virgine, nomen semen mulieris singulariter convenit [1]. *Mulier* non est Eva, quippe quae in gerendis contra diabolum inimicitiis haud peculiariter eminuit. Nec obstat quod in hebraeo habetur articulus (הָאִשָּׁה); potuit enim Deus loquens hac emphatica determinatione significare singularem aliquam mulierem, diabolo et protoparentibus adhuc incognitam, sed sibi ab aeterno praesentem [2]. Dato autem quod mulier non sit Eva, nulla alia intellegi potest praeter eam, quae sola „gratia plena" et „benedicta inter mulieres" salutanda erat, quam solam „beatam dicent omnes generationes." Putamus itaque, nomine mulieris non tantum in sensu typico (uti plures theologi volunt), sed potius in sensu literali designari matrem Christi, virginem Mariam.

Italae retinuit, quia bene reddit sensum: inimicitiarum exitus hic erit: semen mulieris conteret caput serpentis, i. e. eum perfecte vincet; serpens vero, licet superetur, ei non sine effectu insidiabitur, conquassabit enim calcaneum ejus, a. v. ei vulnus minime letale inferet. — [1] *Secundario* tamen, n. p. quatenus sunt membra Christi, ad semen mulieris pertinent quicumque ex gratia Christi daemonem vincunt. — [2] Praeterea nonnulli eruditi, sed nescio quo jure, censent, nomen הָאִשָּׁה ex genio linguae hebraicae optime verti posse: eene vrouw. Ita v. g. M. Flunk: „Die Übersetzung des hebräischen Textes kann unter Berücksichtigung seiner Eigentümlichkeiten nur lauten: Und Feindschaft werde Ich setzen zwischen dir und einem Weibe, zwischen deinem Samen und ihrem Samen; Er wird dich zermalmen rücksichtlich des Kopfes, und du wirst Ihn zermalmen rücksichtlich der Ferse" (*Zeits. f. k. Theol.*, 1904, p. 208 et p. 648).

216 *Argumentum*. Quibus praemissis, ita argumentamur. In protoevangelio daemoni, in poenam machinationis suae, annuntiatur, quod eodem ordine quo vicerat, vincetur: quia fecisti hoc, quia amicitiam mulieris fraudulenter capiendo, triumphasti de muliere, et per mulierem de viro (in quo omnes peccaverunt), ego objiciam tibi novam mulierem tibi inimicam, quae gignet novum virum progeniturae tuae inimicum; et inimicitiarum exitus erit, quod totaliter devinceris (et omnes, qui voluerint, e tua potestate eripiantur). Igitur ex intentione Dei Evae et Adamo, qui daemoni amicabiles ei succubuerunt (et ita toti suae propagini causa ruinae fuere), e diametro opponuntur Mulier cum suo Semine, Maria cum Christo, quia diabolo minime amicabiles sed omnino hostiles erunt, et ita omnibus exsistent causa salutis.

Atqui his omnibus obscurius quidem, sed vere significatur, etiam mulierem, i. e. Mariam partem aliquam habituram in opere reparationis. Qualis et quanta erit haec pars non ex ipsa prophetia, sed potius ex ejus impletione historica didicimus. Duo tamen ipsa prophetia insinuat: **a.** causam principalem et perfectivam restaurationis non fore mulierem, sed semen ejus: „ipsum conteret"; **b.** mulierem semini cooperaturam esse non solum per modum instrumenti physici, sed etiam moraliter per actus deliberatos, nam „inimicitias" inferre diabolo causae intellegentis et liberae est. Ergo.

217 2° Ex *Traditione*. Non audemus asserere, Patres consensu unanimi mulierem protoevangelii literaliter de b. Virgine intellexisse; certum tamen est, eos, comparando historiam lapsus antiquamque promissionem cum historia annuntiationis et doctrina paulina de Christo novo-Adam, statim ab initio docuisse, Mariam non solum physice, gignendo Christum, sed etiam moraliter per liberam obedientiam ad reparationem nostri generis aliquid contulisse. Rem testatur antiquissima lectio latina „ipsa conteret", quae numquam obtinuisset, nisi veteri ecclesiae latinae intime persuasum fuisset, etiam

Virginem inimicitia sua aliquid ad triumphum de serpente contulisse (utique in virtute Filii sui). Sed audiantur ipsi Patres.

S. JUSTINUS: „Filium Dei intellegimus ex Virgine hominem esse factum, ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem via et dissolutionem acciperet. Eva enim cum virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto, inobedientiam et mortem peperit. Maria autem virgo, cum fidem et gaudium percepisset, evangelizante Gabriele angelo, quod Spiritus Domini in eam superventurus esset, ... respondit: fiat mihi secundum verbum tuum. Et ex hac ille genitus est, per quem Deus serpentem eique assimilatos angelos et homines profligit" [1].

S. IRENAEUS: „Consequenter autem et Maria virgo obe- 218
diens invenitur, dicens: Ecce ancilla tua .... Eva vero inobediens: non obedivit enim quum adhuc esset virgo. Quemadmodum illa virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc exsistens, inobediens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis; sic et Maria habens praedestinatum virum, et tamen virgo, obediens et sibi et universo generi humano facta est causa salutis ... Non aliter quod colligatum est [in paradiso] solveretur, nisi ipsae compagines alligationis reflectantur retrorsum, ut primae conjunctiones solvantur per secundas, secundae rursus liberent primas .... Sic autem et Evae inobedientiae nodus solutionem accepit per obedientiam Mariae. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem" [2]. — Et: „Si ea [Eva] inobedierat Deo, sed haec [Maria] suasa est obedire Deo, ut virginis Evae virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem: aequa lance disposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam" [3].

[1] *Dial.* c. *Tryph.* 100. — [2] *Adv. Haer.* III, 22, 4. — [3] L. c. V. 19, 1. — Occasione nominis „*advocata* Evae", Card. Newman observat: „It is supposed by critics, protestant as well as catholic, that the greek

TERTULLIANUS: „Deus imaginem et similitudinem suam a diabolo captam aemula operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis. In virginem aeque introducendum erat Dei verbum exstructorium vitae, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit" [1].

S. EPHREM: „Initio protoparentum delicto in omnes homines mors pertransiit, hodie vero per Mariam translati sumus de morte ad vitam. Initio serpens Evae auribus occupatis, inde virus in totum corpus dilatavit; hodie Maria ex auribus perpetuae felicitatis assertorem excepit. Quod ergo mortis fuit, simul et vitae exstitit instrumentum" [2].

219 S. EPIPHANIUS postquam dixit, Evam in typum Mariae vocatam esse „matrem viventium", addit: „Aliud vero in utraque, Eva scil. ac. Maria, considerari potest et quidem admiratione dignum. Siquidem Eva generi hominum causam mortis attulit, per quam mors est in orbem terrarum invecta; Maria vitae causam praebuit, per quam vita est nobis ipsa producta... Quoniam Eva adhuc virgo exsistens in transgressionem inobedientiae venerat, iterum per virginem facta est obedientia gratiae" [3].

S. CHRYSOSTOMUS: „Per quae diabolus nos expugnavit, per ea ipsa Christus ipsum superavit. Virgo, lignum et mors nostrae cladis symbola erant... Jam vide quomodo eadem ipsa nobis victoriae causa sint. Pro Eva Maria, pro ligno scientiae boni et mali lignum crucis, pro morte Adami mors Domini" [4].

---

word for Advocate in the original was *Paraclete*; it should be borne in mind, then, when we are accused of giving our Lady the titles and offices of her Son, that St. Irenaeus bestows on her the special name and office proper to the Holy Ghost" (L. c. p. 39). — [1] *De carne Christi*, 17. — [2] *De diversis*, serm. 3; Opp. Syr.—lat. III. p. 607. — [3] *Haer.* 78 (al. 58) n° 18. — [4] *Hom. in s. Pascha*, n° 2; de genuinitate hujus homiliae dubitatur.

S. AUGUSTINUS: „Huc accedit magnum sacramentum, ut, quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur: ut de utraque natura, id est feminea et masculina, victus diabolus cruciaretur, quoniam de ambarum subversione laetabatur, cui parum fuerat ad poenam si ambae naturae in nobis liberarentur, nisi etiam per ambas liberaremur" [1].

Scholion. *Alia cooperatio Virginis.* — Supra illi Virginis **220** cooperationi attendimus, quam nomen novae Evae proxime innuit, et prisci Patres diserte proposuerunt. Attamen b. Maria alio adhuc modo ad opus reparationis nostrae concurrit, *Filium suum pro nobis Deo Patri offerendo.* Intimi doloris gladio transfixa, stetit pia mater juxta crucem, in qua Filium suum pro salute mundi immolari sciebat. Quis dubitat, eam ex toto corde voluntatem suam conjunxisse cum voluntate Christi seipsum sacrificantis; quis dubitat, eam decreto Patris, Filium tradentis, generoso amore consentiisse, etiam ex parte sua, materna veluti auctoritate, fructum ventris sui tradendo in pretium redemptionis nostrae. Etiam haec Virginis cooperatio, quum nullo modo auxerit valorem sacrificii Christi, non fuit necessaria ad essentialem perfectionem redemptionis; nihilominus non erat inutilis, nam operi reconciliationis accidentalem quamdam perfectionem adjecit, quatenus in persona Virginis ipsum genus humanum, consentiendo et compatiendo, ad oblationem hostiae reparatricis concurrit. Siquidem per hanc qualemcumque generis humani in dignissima sua repraesentante cooperationem, suavius et congruentius perficiebatur reconciliatio nostra. Maria etenim, „a Christo ascita in humanae salutis opus, de congruo ut aiunt, promeret nobis, quae Christus de condigno promeruit" [2].

[1] *De agone christ.* 24. — [2] Pius X, Encycl. *Ad diem illum.* 2 Febr. 1904.

Art. II

DE SANCTITATE B. MARIAE

221 Maternitatem virginalem b. Mariae et locum, quem in negotio restaurationis nostrae occupat, antiquissimi fidei testes ex professo celebrarunt, sanctitatem ejus, aliis curis intenti, non ita diserte extulerunt; postea vero acceptis opportunitatibus patres ac doctores distinctius explicare coeperunt, quae fontes revelationis veluti in nucleo continent. Qua in re meminisse juvat, assistentiam Spiritus S. promissam esse ecclesiae, ut depositum fidei in finem usque saeculorum altius perscrutetur, plenius intellegat, explicitius enuntiet. Hinc qui ecclesiae exprobrant, quod in hac materia, sicut in aliis plurimis, simplicem primorum saeculorum professionem non parum excoluit, oeconomiam divino-humanam religionis christianae ignorant, et idem fere faciunt ac ille, qui homini in crimen verteret, quod a puero in virum perfectum excrevit.

222 PROP. 1. **Sanctitas b. Virginis fuit perfectissima in sua specie et omnino singularis.**

Dicendo sanctitatem Virginis fuisse perfectissimam in *sua specie*, intellegimus Mariam perfectam fuisse ea sanctitate, quae purae creaturae convenire potest. Haec autem non gradu tantum, sed specie differt tum, ut per se patet, a sanctitate ipsius Dei, tum etiam a sanctitate Christi hominis. Sanctitas Christi fuit quodammodo substantialis (n^0 **114**), sanctitas Virginis, utut perfecta, mere accidentalis; sanctitas Christi est principium et fons sanctitatis cujuslibet hominis post lapsum Adae, sanctitas Mariae, tota quanta est, a meritis Christi pendebat. Ceterum sanctitas matris Christi non solum perfecta dicitur, sed etiam *plane singularis*, quia multum excedebat mensuram omnium aliorum, qui ejusdem cum ipsa conditionis fuerunt, i. e. omnium hominum.

Prop., etsi numquam sub hac forma definita, *certa* est

et omnino continet doctrinam ecclesiae, uti patet ex manifesta praedicatione quotidiana.

Probatur. 1° Ex *S. Scriptura.* 223

A. Ex protoevangelio [1] (cfr. n° 215). — **a.** In protoevangelio Maria in gerendis contra diabolum inimicitiis aequiparatur Christo. Oportet igitur, ut utriusque inimicitia fuerit aequalis saltem sub uno respectu. Atqui non potuit esse aequalis in eo, quod utrimque propria virtute gesta dicatur, restat igitur ut fuerit aequalis quantum ad perfectionem, seu plenitudinem in propria specie. Porro Virginem plenam ac perfectam diabolo intulisse inimicitiam omnino importat, eam perfecta sanctitate emicuisse, nam diabolo ut auctori peccati absolutam inimicitiam non infert, qui vel in uno a perfecta sanctitate deficit. — **b.** Secundum protoevangelium in gerendis contra diabolum inimicitiis sola Virgo Christo aequiparatur, sola enim Mulier cum Semine suo diabolo et semini ejus ut absolute ac perfecte hostiles opponuntur. Atqui hinc insinuatur, sanctitatem Virginis fuisse omnino singularem, a sanctitate omnium aliorum hominum longe discretam.

B. — Ex verbis angeli: „Ave gratia plena *[Χαῖρε κεχαριτωμένη]*, 224
Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus", quibus respondent verba Elisabeth, quae, „repleta Spiritu S." dixit: „Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui" [2].

Absonum foret vocem *κεχαριτωμένη*, ab angelo Dei jussu prolatam, interpretari de gratia seu pulchritudine corporali. Verba autem archangeli dicta sunt, antequam Verbum in utero Virginis concipiebatur, hinc non possunt intellegi de ipsa gratia maternitatis divinae, sed debent exponi de gratia et benedictione jam antea datis, utique ut dignum habitaculum Filio Dei praepararetur.

Jam **a.** ipsa verba *per se sumpta* insinuant singularem

[1] Cfr. Arendt, *De protoevangelii habitudine ad imm. conceptionem.* 1904. — [2] *Luc.* 1, 28, 42.

abundantiam gratiae. Verbum *χαριτόω*, sicut alia hujus formae, cumulum quemdam indicat. Praeterea vox *κεχαριτωμένη* antonomastice, i. e. loco nominis proprii, adhibetur, quod fieri nequit, nisi persona, quae ita salutatur, gratia sua singulariter eminet. Item affirmatio: „Dominus tecum", ut sensum rationabilem habeat, de peculiari praesentia et protectione intellegi debet. Verba: „Benedicta tu in mulieribus" Virginem diserte praeferunt ceteris mulieribus; quod autem solae mulieres nominantur inde explicatur, quod agitur de gratia et benedictione intuitu futurae maternitatis, functionis muliebris, collatis [1]. — **b.** Quodsi verba sumuntur *in concreto*, i. e. attentis adjunctis, in quibus prolata sunt, multo magis singularem gratiarum plenitudinem arguunt. Diriguntur siquidem ad virginem, in matrem Dei electam, et ipso momento quo ncomparabilis illa electio ei nuntiatur. Jam ut mulier, Verbum Dei conceptura, tam emphatice salutari possit *κεχαριτωμένη*, omnino necesse est, ut gratia ejus sublimissimae huic dignitati respondeat, *a.* v. ut Virgo ceteros omnes tantum exsuperet gratia, quantum dignitate iis antecedit [2]. — Hinc **c.** „Patres, ecclesiaeque scriptores [tam orientales quam occidentales] docuerunt, hac singulari solemnique salutatione, numquam alias audita, ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustum" [3].

Porro, si tanta fuit b. Virginis gratia, de perfectissima et omnino singulari ejus sanctitate dubitari nequit.

[1] Incisum: *Benedicta tu in mulieribus,* apud *Luc.* 1, 28 in nonnullis Ms. ac versionibus deest, unde plures existimant, illud ex v. 42 desumptum errore librariorum hic insertum esse. Quaestio non videtur magni momenti, parum enim interest, utrum Virgo a sola Elisabeth „repleta Spiritu S.", an etiam ab angelo ita salutata sit. — [2] Hinc simul vides, eadem verba *gratia plena* aliam importare plenitudinem ubi dicuntur de Christo (*Jo.* 1, 14), aliam ubi praedicantur de Virgine, aliam denique ubi de aliis sanctis adhibentur (*Act.* 6, 8; 11, 24.) — [3] Pius IX in Bulla: *Ineffabilis.*

2° Ex *Traditione*. Permulta sunt et valde sublimia, quae **225**
Patres de gratia, de puritate et sanctitate Virginis scripserunt[1]; pauca seligimus.

S. HIPPOLYTUS ROM. († 235): „Dominus autem peccati expers erat, ut ex lignis putrefactioni non obnoxiis secundum hominem, hoc est Virgine et Spiritu Sancto" [2]. — Et observa, libertatem a corruptibilitate immediate antea adhiberi ut symbolum immunitatis a peccato.

S. JACOBUS EP. NISIBENUS († c. 338): „Deus elegit sibi virginem puram, praeventam atque servatam, imo sibi desponsam; eamque solam praestitit intaminatam labis expertem; descenditque et habitavit in beata illa, pulchritudinis plena, inviolata corpore, animoque purissima et obsignata; in illa acceptissima Deo, originisque divinae filia sese manifestavit" [3].

S. EPHREM († 373): „Tu revera (Christe) et mater tua **226**
soli estis, qui omni ex parte omnino pulchri estis: in te enim Domine nulla est labes, nec ulla in matre tua macula" [4]; — et alibi: „Dei genitrix, domina mea, supersancta, pelagus inexhaustum divinorum charismatum ac donorum, cherubim et seraphim sine comparatione superior et gloriosior, complementum gratiarum Trinitatis, veluti secundas post divinitatem partes ferens" [5].

S. AMBROSIUS († 397) agens de salutatione angeli: „Bene- **227**
dictionis novam formulam mirabatur (Virgo), quae nusquam

---

[1] Uberrima traditionis testimonia collecta invenies apud Passaglia, *De immac. Deiparae conceptu*, Romae 1854; et (minus critice tamen) apud Roskovany, *B. V. Maria in sua conc. immac. ex monumentis demonstrata*, Budapest. 1873 seq. — [2] *In Ps. 23*, apud Achelis, *Hippolyt's kleinere Schriften*, p. 147. — [3] Textum e codice syro antiquissimo transscripsit p. Besson; cfr. *Civ. Catt.* S. IX, t. 12, p. 550 (1876). — [4] *Carm. Nisibena*, ed. Bickell, p. 122. — [5] *Orat. ad Deip.* in *Opp. gr. lat.*, III, p. 528.

lecta est, nusquam ante comperta. Soli Mariae haec salutatio servabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quae sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiae repleretur auctore". — Et mox matrem baptistae Mariae comparando addit: „illa [Elisabeth] post conceptum repletur [Spiritu S.], ista ante conceptum" [1].

S. EPIPHANIUS († 403): „Maria secundum omnia est gratia plena" *[κατὰ πάντα κεχαριτωμένη]* [2].

228 S. AUGUSTINUS († 430). Pelagius post alios sanctos, qui secundum ipsum omnis peccati expertes fuissent, nominaverat Mariam, „quam sine peccato confiteri necesse est pietati". S. Augustinus respondet: „Excepta s. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta", omnes sancti, si interrogarentur, confiterentur, se non fuisse absque peccato [3].

Alibi idem Augustinus, agendo de nuptiis in Cana celebratis, exhibet genus humanum quasi conjugio sociatum daemoni, protoparentum deceptori, et dicit ad has nuptias venisse Christum et Mariam: „Genitrix autem Christi illa, quae facinorosi concubitus pactum exhorruit, quae non solum corpore verum etiam mente virgo permansit, intererat invitata conditione generis, non participatione criminis, universitate nascendi, non societate peccandi; quae Christo, non quae mundo consentiret immundo" [4].

229 THEODOTUS ANCYRANUS († a. 446) Mariam praedicat: „Vir-

[1] *Exp. Evang. sec. Luc.* l. II, c. I, n° 9 et n° 23. — [2] *Haer.* 58 (78) n° 24, *Opp.* I, p. 1056 (Ed. Colon. 1683). — [3] *De nat. et grat.* c. 36, n° 42. — [4] *Serm. 118 de Evang.* (ex Mai, *Bibl. nov. Patr.* I, p. 1, p. 248; apud Pesch, *Prael. Dogm.* III, n° 307).

ginem innocentem, immaculatam, sanctam spiritu et corpore, productam ut lilium inter spinas, quae non novit mala Evae, quae fuit filia Adam, sed ipsi dissimilis" [1].

S. PETRUS CHRYSOLOGUS († c. 450): „Singulis gratia se largita est per partes, Mariae vero se tota infudit gratiae plenitudo" [2].

S. FULGENTIUS († 533): „In primi hominis conjuge nequitia diaboli seductam depravavit mentem; in secundi autem hominis matre, gratia Dei et mentem integram servavit et carnem: menti contulit firmissimam fidem, carni abstulit omnino libidinem" [3].

S. SOPHRONIUS HIEROSOL. († 638): „Tu omnem creaturam **230** longe transgressa es, quippe quae prae omni creatura enituisti puritate. Tibi acclamo: gratia plena, quoniam et prae omnibus creaturis gratiae muneribus cumulata es . . . Invenisti apud Deum gratiam prae qualibet eximiam, omnium gratiarum splendidissimam, numquam elanguentem, quae nullo impetu quatiatur, gratiam plane invictam, perenniter duraturam. Et alii quidem iique plures ante te eximia sanctitate floruerunt. Sed nemini quemadmodum tibi plena gratia impertita est; nemo sicut tu sanctitate exornatus est, nemo sicut tu purificante gratia praeoccupatus est *[προκεκάθαρται]*" [4].

S. GERMANUS CONSTANTINOP. († 733): „Ave Maria, gratia plena, sanctis sanctior et coelis excelsior, et seraphim honorabilior, et super omnem creaturam venerabilior" [5].

S. JOANNES DAMASCENUS († 733): Maria „gratiae abyssum **231** invenit, quae duplicis virginitatis navem servaverat incolumem. Maria enim non minus animam quam corpus virginem custodierat" [6]. — Et: Maria „tota thalamus Spiritus, tota civitas Dei vivi, quam laetificant fluminis impetus, S. inquam

[1] *Hom. 6 in Deipar.* n° 11. — [2] *Serm.* 143. — [3] Serm. 2 *de dupl. nativ. Christi,* n° 6. — [4] *Serm. 10 in annunt. Deipar.* n° 18, 19, 25. — [5] *Orat. in praesent. Deipar.* n° 18. — [6] *Hom. 1 in dorm. B. Mariae* n° 7.

Spiritus gratiarum fluctus. Tota pulchra, tota Deo propinqua: haec enim, cherubim superans et super seraphim evecta, proxima Deo exstitit" [1].

S. PETRUS DAMIANI († 1072): „Quid sanctitatis, quid justitiae, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quae totius divinae gratiae charismate plena fuit. Quid, rogo, vitium in ejus mente vel corpore vindicare sibi potuit locum, quae ad instar coeli plenitudinis totius divinitatis meruit esse sacrarium" [2]. — Et: „Quemadmodum luna [stellis] ét magnitudine praeeminet ét splendore, sic utramque naturam [humanam et angelicam] Virgo singularis exsuperat et immensitate gratiae et vulgore virtutum" [3].

232 S. ANSELMUS († 1109): „Decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intellegi, virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum filium suum ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis filius" [4].

S. BERNARDUS († 1153): „Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quae omnimodam malignī suggestionem, tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum". — Et: „Legimus et Stephanum plenum gratia, et apostolos fuisse repletos Spiritu S., sed longe dissimiliter a Maria" [5].

233 S. THOMAS († 1274): „B. Virgo excessit angelos in plenitudine gratiae, quae magis est in b. Virgine quam in quolibet angelo". Deinde explicat, Mariam gratia plenam fuisse „quantum ad tria. Primo quantum ad animam, in qua habuit omnem plenitudinem gratiae. Nam gratia datur ad duo, scil. ad

[1] *Hom. 1 in nativ. b. Mariae*, n° 9. Sunt quī de genuinitate duarum homiliarum *in nativ. b. Mariae* dubitant; duae homiliae *in annunt.* non sunt ipsius Damasceni. — [2] *Serm.* 46, apud Migne, *P. L.* **144**, p. 752. — [3] *Serm.* 40; L. c. p. 720. — [4] *De conc. virginal.* c. 18. — [5] Super *Missus est*, serm. 2, n° 4 et serm. 3, n° 2.

bonum operandum et ad vitandum malum: et quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit b. Virgo. Nam ipsa omne peccatum vitavit magis quam aliquis sanctus post Christum . . .; ipsa etiam omnia virtutum opera exercuit, alii autem sancti specialia quaedam," cet.[1]

Scholion 1. *De plenitudine gratiae in b. Virgine sententiae theologicae.* — Mensuram gratiae Virgini concessae inquirentes, theologi distinguunt inter primam sanctificationem seu primam infusionem gratiae, et incrementa quae postea supervenerunt. **234**

1. Certum videtur, Mariae in *prima sanctificatione* datam esse ampliorem gratiam, quam aliquis homo aut angelus in prima sua sanctificatione accepit. Gratia enim proportionatur muneri, ad quod quis destinatur; munus autem ad quod b. Virgo eligebatur, omnem aliam dignitatem longissime superabat [2]. Praeterea plures existimant, primam gratiam Mariae vicisse culmen gratiarum, a quocumque alio umquam consecutum [3].

2. De *augmento* gratiae in Virgine, haec certa videntur. **235**
a. B. Virgo dum in terris vivebat, non habuit gratiam consummatam, nec eo sensu quod visione Dei fuerit habitualiter donata [4], nec eo sensu, quod umquam habuerit gratiam, qua major non datur viatori. — **b.** B. Virgo inaestimabile augmentum gratiae accepit tum ex opere operantis, per actus scil. meritorios, a quibus dum vigilaret [5] numquam cessabat,

[1] Opusc. *Exp. salut. angel.* n° 3—4. — [2] Cfr. *S. Th.* III, 27, 5. — [3] Cfr. Suarez, *De myst. vitae Christi,* diss. 4, s, 1, n° 3—4. — [4] Dico: *habitualiter*; plures enim cum Suarez (l. c. disp. 19, s. 4, n° 2.) opinantur, Virginem aliquoties, v. g. in momento conceptionis et nativitatis Christi, visionem beatam habuisse; quod etsi probabile non habeo, impugnare nolo. — [5] Nonnulli aestimant, animam Virginis, etiam cum corpus dormiret, actus meritorios exercuisse; quod, supposita scientia per se infusa (cujus actus non pendet a phantasmate), impossibile non esset. Sed hujusmodi scientia non videtur admittenda. Immerito autem

et qui, utpote ex ferventissima charitate profecti, maximi valoris erant; tum ex opere operato, primo quidem et maxime, cum in sinu suo Verbum conciperet, deinde in die pentecostes, et cum sacramenta, imprimis Eucharistiam, susciperet.

236 3. Quum secundum doctrinam catholicam *virtutes* simul cum gratia sanctificante infundantur et augeantur, mirum non est, b. Virginem fuisse „exemplum omnium virtutum" [1]. S. JOANNES DAMASC.: „In domo Dei plantata et per Spiritum saginata, instar olivae fructiferae, virtutum omnium domicilium instruitur. Sanctimoniam sectando, templum evadit sanctum et admirabile, Deique altissimi hospitio dignum" [2].

237 4. Veritates revelatae de supereminenti dignitate matris Dei, et de plenitudine gratiae tantae dignitati correspondente, sanctis ac theologis sunt foecundum principium, ex quo plura specialia Virginis privilegia deducunt. Qua in re haec regula servanda videtur. B. Virgini tribuenda sunt, et quidem in gradu superiori, omnia dona ad majorem sanctitatem, perfectioremque proprii muneris expletionem conducentia, quae alicui homini collata esse noscuntur, dummodo quadrent cum statu viae, sexu femineo, conditione matris Illius, qui per passionem et crucem mundum redimere voluit [3].

Dico: a. Omnia dona *ad majorem sanctitatem, perfectioremque muneris expletionem conducentia*. Excluduntur itaque particulares favores, nonnullis sanctis pro adjunctis concessi, qui ad perfectiorem unionem cum Deo nihil conferunt, nec propriam missionem matris Christi spectant: non patravit

---

quidam provocant ad verbaas. Ambrosii: „Dormire non prius cupiditas quam necessitas fuit [b. Virgini], et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda praenuntiat". (*De Virgin.* l. II, c. 2, n° 8.) — [1] S. Thom. *Expos. salut. angel.* n° 4. — [2] *De fid. orth.* IV, 14, 52. — [3] Cfr. Scheeben, *Kathol. Dogmatik*, III, p. 521 seq; Terrien, *La Mère de Dieu*, I, 1, p. 303 seq.

miracula, non confecit scripturas inspiratas, non fuit sicut Elias ministerio corvi pasta. — **b.** Quae *alicui homini collata esse noscuntur.* Gratia Virginis gratiam cujuslibet hominis longe superat, ideo rationabiliter creditur, nullum privilegium gratiae alteri concessum, ipsi denegatum fuisse[1] (nisi specialis obstat ratio, ut statim dicetur). Quid vero ubi agitur de dono, nulli alteri in quantum scimus collato? Gratia Mariae, utut supereminens, limites suos habuit, neque sustineri potest, Deum ei contulisse quidquid decenter conferre potuit. Hinc ubi deficit fundamentum comparationis cum aliis sanctis, hujusmodi privilegium gratis affirmaretur, nisi aliunde, n.p. ex ipsa dignitate matris Dei, argumentum positivum peculiaris decentiae exsurgeret. Dico: argumentum positivum decentiae; siquidem non sufficit asserere, perfectius est hujusmodi donum habere quam illo destitui, sed ostendi debet, carentiam talis doni matrem Christi aut dedecere, aut saltem minus decere. — **c.** *Dummodo quadrent,* cet. Status viae excludebat visionem divinae essentiae; sexus muliebris charisma sacerdotii; conditio matris Redemptoris non patiebatur libertatem a dolore et morte.

Facile vides, conclusiones, per applicationem hujus regulae (quae ceteroquin et ipsa non eodem modo ab omnibus formulatur) ex principiis revelatis deductas, nisi a magisterio ecclesiastico sancirentur, limites sententiae theologicae non excedere.

Scholion 2. *Beata Virgo per totam vitam suam ab omni* **238** *peccato actuali immunis fuit.* — Est sententia catholica,

[1] Cfr. v. g. S. Bernard.: „Quidquid itaque vel paucis mortalibus constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantae Virgini fuisse negatum" (Ep. 174 *ad Canon. lugdun.* n° 5); et s. Thomam, *S. Th.* III, 27, 1 c. — Applicationem specialem, valde incertam tamen, innuimus. Quum plures patres ex *Luc.* 1, 44 deducant, Baptistam in utero matris rationis usum habuisse, multi theologi idem privilegium et habitualiter quidem b. Virgini tribuendum censent.

a CONC. TRID. non definita quidem, sed aperte proposita: „Si quis hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de b. Virgine tenet ecclesia, a. s."[1]. Lege testimonia supra relata, imprimis s. Ephrem et s. Augustini (n° 226 et 228). — Verum est praeter Tertullianum jam montanistam, etiam aliquos ex Patribus[2] b. Virginem peccati cujusdam accusasse; sed considerandum est, hos ita locutos esse, non quia sic a majoribus acceperant, sed ut difficiliores Scripturae locos[3] pro posse enodarent, igitur ut doctores *privati;* et quidem eo tempore, quando, re adhuc minime discussa, nondum universaliter invaluerat traditio *explicita* de perfecta Virginis impeccantia. Quapropter iis applicanda est responsio s. Thomae: „Dicendum quod Chrysostomus excessit"[4].

239 Addunt theologi, matrem Christi non tantum de facto omne peccatum vitasse, sed eam, saltem a tempore quo Verbum concepit, ita perfecte confirmatam fuisse in bonum, ut ne potuerit quidem peccare: *impeccabilitas*. Haec tamen impeccabilitas intellegenda est non metaphysica aut physica, sed moralis; proveniebat siquidem ex abundantia gratiae et singulari protectione divina, quae Virginem infallibili efficacia ab omni peccato etiam levissimo custodiebat, secundum illud angeli: „Dominus tecum".

240 PROP. 2. **Ad perfectam b. Virginis sanctitatem in specie pertinet, quod sine labe originali concepta fuit**[5].

[1] S. 6, can. 23. — [2] Tertull. *De carne Christi*, c. 7; Origenes, *Hom. 17 in Luc.*; S. Basilius, *Ep. 260 ad Optimum*, n° 9 (Origenes et s. Basilius supponere videntur, Mariam non indiguisse redemptione, nisi aliquod peccatum commisisset.); s. Chrysost. *Hom. 44 in Mt.* n° 2; *Hom. 21 in Jo.* n° 2—3. His immerito addi solet s. Cyrill. Alex. *In Joan.* l. 12, c. 33; cfr. Newman, *Letter to Pusey*, note c. p. 131 seq. — [3] *Mt.* 12, 46 seq.; *Luc.* 2, 35; *Jo.* 2, 4. — [4] *S. Th.* III, 27, 4 ad 3. — [5] Praeter opera jam laudata cfr. A. Ballerini, *Sylloge monumentorum*,

Prop. non est nisi specialis applicatio doctrinae, in praecedenti thesi expositae, sed quia olim longas controversias inter catholicos excitavit, et etiam hodie ab heterodoxis praepostere intellegitur, nec sine stomacho impugnatur, accuratiorem tractatum postulat.

Praemitto *definitionem* a Pio IX a⁰ 1854 editam: „Definimus doctrinam quae tenet, beatissimam virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari Dei omnipotentis gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu, salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam"[1].

Dogma nostrum vocari solet *Immaculata Conceptio b.* **241**
Mariae V. Porro:

1⁰ Intellegenda est **a.** conceptio, non qua b. Virgo Christum concepit, sed qua ipsa a sua matre concepta est. — **b.** Conceptio passiva; non enim de culpa vel merito parentum generantium quaeritur, sed utrum proles concepta habuerit in suo ortu maculam originalem necne. — **c.** Conceptio (passiva) completa. Qui tenent animam rationalem non infundi nisi postquam corpus jam satis evolutum est, distinguunt inter conceptionem inchoatam, momentum quo incipit disponi materia corporalis, et conceptionem completam, seu momentum quo, per infusionem animae rationalis, incipit exsistere novus homo. Dicitur quidem in bulla: „in primo instanti suae conceptionis", sed quum sermo sit de persona Virginis, quae utique ante infusionem animae nondum erat, primum instans illud erat, in quo anima corpori uniebatur. Hinc in bulla

---

cet. 2 vol. Paris, 1856; J. B. Malou, *L'immac. Conception*, 2 vol. Bruxell. 1857; Perrone, *De immac. B. V. M. conceptu disquis. theol.*, Romae, 1847; X. M. Le Bachelet, *L'Immac. Conception, courte histoire d'un Dogme* (2 fasciculi collect. *Science et Religion)*; C. A. B. — *Neerland's hulde aan de Onb. Ontv. in den loop der eeuwen*, Buscoduci 1904. —
[1] Bulla: *Ineffabilis*, cfr. Denz. n⁰ 1502.

laudatur constitutio Alex. VII docentis: „Animam b. Mariae Virginis in sui creatione et in corpus infusione Spiritus S. gratia donatam, et a peccato originali praeservatam fuisse"[1]. Ceterum verba: „in primo instanti" addita sunt, ut efficacius excluderetur doctrina eorum, qui distinguendo primum et alterum *completae* conceptionis momentum, docuerant, animam Virginis in momento unionis ad corpus peccatum originale contraxisse, sed statim postea fuisse mundatam.

Hinc simul vides, quare Maria dicatur ab originali labe immunis *praeservata*; cum enim reliqui omnes a labe jam contracta purgentur, Mariae accidit, ut labem omnino non contraheret. Quia autem originalis culpae labes consistit in privatione gratiae sanctificantis, et quia in praesenti ordine non datur status medius inter peccatum et gratiam, praeservatio Virginis dicit, ipsam a primo suae exsistentiae momento gratiam sanctificantem habuisse.

242 2° Jam praeservatio Virginis ab originali peccato erat non solum gratia sed *privilegium*, exemptio scil. a lege communi, non pro meritis sed gratuito facta; et quidem privilegium *singulare*, soli Virgini collatum. Revera quum b. Virgo consueto modo ex Adae semine fuerit procreata, ipsa, sicut omnes alii, vi suae conceptionis peccatum originale contraxisset, nisi misericors Deus impediisset. Ideo dici solet, Mariam, quamvis de facto originale peccatum numquam contraxerit, *habuisse debitum illud contrahendi*[2].

243 3° Demum si b. Virgo vi suae conceptionis peccato originali

[1] Vides controversiam de tempore, quo foetui anima rationalis infundatur, per definitionem de imm. conceptione ne tangi quidem. — Diximus, agi de conceptione *personae* Virginis, revera absonum foret loqui aut de conceptione immaculata animae, quae quippe non concipitur; aut de conceptione immaculata corporis quod nec gratiae nec peccati subjectum esse potest. — [2] Licet omnes doceant, et docere debeant, Mariam habuisse debitum incurrendi peccatum originale, res aliter ab aliis intellegitur. Sunt qui in b. Virgine solum agnoscunt *debitum remotum* contrahendi peccatum

obnoxia fuit hoc sensu, quod illud, nisi praeservaretur incurrere debuisset, sequitur eam liberatione seu *redemptione indiguisse;* et quia non datur aliud medium, quo proles Adae ab antiquo peccato liberetur, praeter merita Christi Redemptoris, vides quare dicatur, singulare privilegium immaculatae conceptionis Mariae collatum esse *intuitu meritorum Christi Jesu, salvatoris humani generis.* Unde secundum fidem catholicam etiam b. Virgo *redempta* est per Christum, sed *sublimiori modo* quam reliqui omnes. Sane qui condemnatus ad carcerem illi praeeripitur, ét vere liberatur, ét perfectiori modo liberatur quam alius, qui in vincula jam conjectus, postea educitur.

4⁰. In bulla expresse docemur, doctrinam de immaculata con- 244
ceptione esse a Deo *revelatam*, et ita excluditur opinio eorum, qui veritatem immaculatae conceptionis admittere quidem volebant, sed ut conclusionem theologicam tantum. Etsi autem dogma nostrum in fontibus revelationis *formaliter* contineatur, minime sequitur illud sive in Scriptura, sive in praedicatione

originale. Hi putant Deum, ob praevisa Christi merita, b. Virginem excepisse ab illo decreto, quo sancitum est, ut si Adam peccaret omnes ejus posteri gratia carerent; ita ut Adam gratiam perdiderit pro omnibus in ipso seminaliter contentis, excepta Virgine. Alii admittendum censent in Maria *debitum proximum* contrahendi peccatum originale; asserunt enim, etiam Mariam in decreto, de quo supra, contentam fuisse, sed Deum illius applicationem praecavisse, largiendo gratiam in ipso momento infusionis ad corpus. Si hoc alterum tenueris, dicere poteris, etiam b. Virginem in Adamo peccasse, hoc scil. sensu, quod Adam sicut pro ceteris, ita etiam pro Virgine gratiam perdiderit. Si primam explicationem praetuleris, dices, Mariam nullo modo in Adamo peccasse, sed peccaturam fuisse, nisi Deus eam a nexu morali cum Adam peccante excepisset. Sententiam debitum proximum adstruentem praeferimus, penitus autem immerito nonnulli insinuant, hanc sententiam Virgini aliquam quasi maculam inurere. Sane nemo maculae capax est, antequam exsistit, et etiamsi Deus Mariam a sola applicatione legis peccati excepit, omnino verum manet, ipsam a primo suae exsistentiae momento ab *omni* macula immunem fuisse.

apostolica *explicite, disertisque verbis* esse propositum. Revera, nisi concedatur doctrinam de qua agimus, implicite tantum fuisse revelatam, et per plura saecula solum implicite ab ecclesia praedicatam, historia nostri dogmatis prorsus inexplicabilis evadit.

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura.* Posito quod mulier, cujus inimicitia in protoevangelio satanae annuntiatur sit mater Christi (n° **215**), ita argumentari licet.

B. Virgo in gerendis contra diabolum inimicitiis Christo aequiparatur, quia una cum Christo (et per Christum) plenam ac perfectam illi inimicitiam intulit (n° **223**). Atqui inimicitia non fuisset plena et perfecta, si Maria vel per brevissimum tempus, peccato originali infecta, sub captivitate daemonis degisset, atque ad regnum diaboli pertinuisset. Ergo.

Et vis argumenti crescit, si perpendatur, daemoni praecise ut auctori peccati originalis intimari inimicitiam hujus mulieris. Nonne satis inepte ei in ultionem machinationis suae objecta fuisset mulier, et ipsa hujus machinationis victima?

245 2° Ex *Traditione.* Frustra quaereres apud vetustos Patres explicita immaculatae conceptionis testimonia; sed non desunt germina, ex quibus dogma nostrum effloruit, non desunt effata, quae immunitatem ab hereditaria labe implicite continent.

246 a. Patres *plenitudinem gratiae b. Virginis* interpretando, verba praegnantiora seligunt et attributa cumulant, ut summam Virginis sanctitatem ac puritatem extollant. Vocant eam illaesam et intactam, prorsus immaculatam, omnino inculpatam, supersanctam, a pedibus usque ad caput benedictam, secundum omnia gratia plenam, totius sanctitatis receptaculum, incorruptam puritatem, sanctis sanctiorem, angelis puriorem, omni creatura pulchriorem, Deo simillimam [1], cet. Atqui

[1] Lege textus citatos n° **225** seq.; et cfr. Passaglia, n° 74 seq., 138 seq., 170 seq., 296 seq., 324 seq.

hujusmodi praeconia, si in sensu obvio ac naturali sumuntur et invicem comparantur, omnem prorsus naevam a Virgine excludunt, ac proinde libertatem a peccato, non tantum actuali, sed etiam originali continere omnino videntur.

Et observa, Patres, quando summis laudibus virginitatem Mariae celebrantes dicunt, eam tum corpore tum spiritu virginitatem servasse, virginitatem animae ut plurimum intellegere non in sensu strictiori, sed in sensu lato: pro immunitate ab omni inquinamento.

b. Patres *dignitatem matris Dei* meditando, ratione hujus **247**
dignitatis omnem a Virgine excludunt maculam; sentiunt siquidem, honorem Christi exposcere matrem omnino immaculatam.

Huc pertinent S. HIPPOLYTUS, docens Christum secundum humanitatem formatum esse „ex lignis putrefactioni non obnoxiis, hoc est ex Virgine et Spiritu Sancto": S. JACOBUS NISIBEN. asserens, Deum sibi elegisse „virginem puram, praeventam atque servatam" quam „solam praestitit intaminatam" [1]; S. MAXIMUS TURINENSIS († p. 465) dicens: „Idoneum plane Maria Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali" [2]; *Martyrium s. Andreae*: „Et quoniam de immaculata terra [i. e. de terra adhuc libera a maledicto Adae] factus fuerat primus homo, necessarium fuit, ut de immaculata virgine nasceretur perfectus homo, filius Dei" [3]. Huc denique potissimum pertinet celebre effatum AUGUSTINI,

[1] Cfr. supra n° **225**. — Eamdem rem exprimit Jacobus Sarugensis in Mesopotamia (*episcopus monophysita*, † 521): „Si qua macula aut defectus in hujus [Mariae] anima fuisset, aliam sibi matrem quaesivisset, labe expertem. Mariae excellentia ad eum usque gradum pertigit, ut ea major non surrexerit in mundo universo" *(Carm. 1 de B. Virg.* apud Abbeloos, *Vita et Scripta s. [?] Jacobi Sarugensis, Batnarum episc.*, p. 123. — [2] *Hom. 5 ante Natale Dom.* Migne, *P. L.* 65, p. 235. — [3] *Epistola* quae inscribitur *presbyterorum et diaconorum Achaiae de martyrio s. Andreae ap.* latinae originis, nec ante saec. V. scripta videtur. Cfr. Bardenhewer, *Patrologie*[3], p. 92.

qui „propter honorem Domini, nullam prorsus, ubi de peccatis agitur", de b. Virgine voluit „haberi quaestionem"[1].

Atqui si honor Christi non patitur maculam in matre ipsius, Mariam etiam ab originali peccato, quod vere ac proprie animam maculat, libera esse debuit.

Testimonium s. Augustini specialem attentionem meretur. Fatemur verba supra laudata, si in contextu leguntur, proxime immunitatem ab actuali peccato adstruere. Sed quum sint omnino universalia; quum rationes additae (honor Christi et plenitudo gratiae) etiam pro peccato originali valeant; quum denique s. doctor alibi aperte doceat, propterea neminem omnia peccata actualia vitare, quia nemo liber est a peccato originali[2]; ideo putamus verba illa ex mente ipsius Augustini etiam ad peccatum originale extendenda esse. Eo vel magis, quod Augustinus alibi satis explicite Mariam a peccato originali eximit. Quum enim Julianus, Pelagii assecla, in Augustinum defensorem peccati originalis inveheret dicendo: si tua doctrina vera est, etiam mater Domini aliquamdiu sub diaboli potestate fuit: „Tu ipsam Mariam diabolo conditione nascendi transscribis", s. Augustinus incunctanter respondit: „Non transscribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo [non transscribimus] quia ipsa conditio nascendi solvitur gratia renascendi"[3]. Quae verba vix aliter possunt intellegi quam hoc modo: Maria, quamvis conditione nascendi, i.e. ex vi

[1] Cfr. n° 228. — [2] „Profecto peccatum etiam major fecisset [Christus], si parvus habuisset. Nam propterea nullus est hominum praeter ipsum qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis aetatis exortu" (*C. Julian.* V. 15, 57). Inferes ex mente Augustini componi invicem posse haec duo: „solus Christus est sine peccato" et „etiam Maria est sine peccato"; siquidem nemo dixerit s. doctorem effatum suum de impeccantia Virginis paucos ante annos conscriptum retractasse. — [3] *Op. imperf. c. Julian.* IV, 122. Ita s. doctor scripsit a. 429, aliquot annis post opus in nota praecedente laudatum. — Doctrinam Augustini dogmati catholico saltem affinem esse, etiam acatholici fatentur. Harnack: „Dasz Augustin damit [per textum citatum] die unbefleckte Empfängnis Mariä implicite gelehrt habe, darf man nicht als sicher

suae conceptionis, peccato infici et diabolo subjici debuisset, tamen gratia praeveniente peccato infecta non fuit [1].

c. Patres considerando *b. Virginem esse novam Evam,* 248
docent primo: eam locum suum habere, non cum progenie peccatrice, sed cum Christo immaculato redemptore; secundo: eam non secus ac primam Evam ortum habuisse inculpatum. *Prius* testantur e.g. S. EPHREM, dicendo solos Christum ac Mariam omni ex parte pulchros fuisse, omnisque maculae expertes[2]. — S. AUGUSTINUS asserendo, solam Virginem cum Christo non habuisse partem in conjugio illo, quod genus humanum cum diabolo contraxerat[3]. — THEODOTUS ANCYRANUS dicendo, Mariam productam esse ut lilium inter spinas, eam non novisse mala Evae, fuisse filiam Adae sed ipsi dissimilem[4]. — S. PETRUS CHRYSOL., a quo Maria vocatur: „Virgo Christo pignorata in utero, cum fieret" [5].— S. GERMANUS CP. in festo praesentationis Mariae exclamans: „Hodie in propitiatorio [templo] ea reponitur, quae sola mortalibus, inundatione peccatorum in transversum actis, evasit propitiatorium novum, Deo simillimum, purificans et non manufactum"[6]. — S. ANDREAS CRETENSIS († c. 720) docendo, primitias generis nostri fuisse „Mariam, quae ex toto fermento non fermentata est, et per quam formatus est panis, quo humanum genus regeneretur"[7].

behaupten. Dagegen hat er sie allerdings für activ sündlos gehalten. Eben weil Augustin die Sündhaftigkeit aller Menschen, auch der Heiligen, zuerst energisch betont hat, die Maria aber ausnahm, hat er dazu beigetragen, der Maria eine besondere Stellung zwischen Christus und den Christen zu geben" (*Lehrb. d. Dogmengesch.* III³, p. 217.) Ph. Schaff: „Augustin est responsable de plusieurs graves erreurs de l'Église romaine: il a anticipé le dogme de l'immaculée conception" *(St. Augustin, Melanchton, Neander,* p. 98, apud Vacant, *Dict. de Théol. cath.* I, p. 2324). — [1] De sententia S. Augustini circa imm. conceptionem disputant Vacandard in *Rev. du Clergé française* 1910, Morilla in *Rev. Augustinienne* 1910 et Saltet in *Bull. de Toulouse* 1910. — [2] Cfr. n° 226. — [3] Cfr. n° 228. — [4] Cfr. n° 229. — [5] *Serm. 140.* — [6] *Serm. in praesent. Deipar.* n° 2, apud Ballerini, *Sylloge,* I, p. 292. — [7] *Serm. in Nativ. Deip.* 1, apud Migne, *P. G.* 97, p. 810.

249 *Alterum* efficiunt v.g. S. EPHREM: „Duae innocentes, duae simplices Maria et Eva sibi prorsus aequales factae erant, postea vero altera facta est causa mortis, altera vitae nostrae" [1]. — SEDULIUS (c. 430) cantans: „Ut, velut e spinis mollis surgit rosa acutis, nil quod laedat habens matremque obscurat honore, sic Evae de stirpe sacra veniente Maria, virginis antiquae facinus nova virgo piaret" [2]. — THEODOTUS ANCYRANUS: „Qui antiquam illam virginem [Evam] sine probro condidit, ipse et secundam irreprehensibiliter *[ἀναμώμως]* fabricatus est" [3]. — S. ANDREAS CRETENS. in festo nativitatis deiparae jubilans: „Hodie natura humana, quae olim bona et pura formata erat, recipit donum primae creationis divinae" [4]. — S. GERMANUS CP. ita Deum alloquens: „Suscipe [Mariam] quam praedestinasti, quam sanctificasti, quam tamquam lilium e spinis nostrae indignitatis elegisti" [5].

Atqui his omnibus, clarius obscurius, immunitas ab originali labe vere continetur.

250 3⁰ *Rationibus theologicis*, quae immaculatam conceptionem saltem vehementer suadent. Plures solent proponi, sed fere reducuntur ad has duas. a. B. Virgo est *mater Christi Dei;* atqui „decebat, ut sicut Unigenitus in coelis Patrem habuit, quem seraphim ter sanctum extollunt ita matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis numquam caruerit" [6]. b. B. Virgo est *nova Eva,* quae ex decreto divino reparationi nostrae cooperari debuit. Atqui summopere decebat, ut ea quam Deus elegerat, ut Filio suo ad destruendum opus diaboli cooperaretur, ipsa a subeunda servitute diaboli totaliter servaretur, ac singulari perfectissimoque modo de gratia redemptionis participaret.

---

[1] Opp. Syriac.-lat. II, p. 327; cfr. Bickell, *Carm. Nisib.* p. 29. — [2] *Carm. paschal.* II, 28. — [3] *Hom. in Deipar. et S. Simeon*, n⁰ 5. — [4] *Serm. in Nativ. Deip.* I. — [5] *Sermo in praesent. Deip.* n⁰ 8, Ballerini, 308. — [6] Bulla: *Ineffabilis.*

Scholion 1. *De festo conceptionis et controversia, quam in ecclesia latina excitavit.* — Ex testimoniis allatis colliges, persuasionem explicitam de originali puritate ortus b. Virginis incepisse ab orientalibus ecclesiis. Determinari nequit, quo tempore festum conceptionis b. Mariae, quod apud multas antiquas sectas haereticas invenitur, apud orientales celebrari coeperit; certum est illud c. 675 exstitisse in ecclesia graeca [1]. Verum est, antiquos illos non accurate distinxisse inter conceptionem activam et passivam; verum adhuc est, eos celebrasse ipsum ortum physicum Virginis, quem, documentis apocryphis innixi, angelo nuntiante ex sterilibus parentibus factum esse credebant; sed simul constat tum ex officiis ecclesiasticis, tum ex homiliis in ipso festo habitis[2], illos ortum Virginis etiam celebrasse ut sanctum, atque ab omni macula purum. **251**

Occidentem quod spectat, missis quibusdam locis commercium frequens cum Oriente habentibus (Sicilia, Neapoli), constat festum conceptionis ante medium saec. x celebratum esse in Hibernia [3]. Praeterea constat, etiam antea plures ea intentione nativitatem Virginis celebrasse, ut etiam initium ortus ejus, nativitatem in utero sanctum praedicarent [4]; unde merito dicitur institutionem festi conceptionis, ex multorum saltem intentione, non fuisse nisi pleniorem explicationem objecti, quod antea sub titulo nativitatis coluerant. Ante medium saec. XI festum conceptionis celebratum fuit in

[1] Tunc enim compositus est „canon" pro festo „conceptionis sanctae et deiaviae Annae". Cfr. de Meester, *La festa della Concezione di Maria nella chiesa greca*. Romae, 1905. — [2] V.g. Joannis Euboeensis (saec. VIII), Petri de Argos et Georgii Nicomed. (saec. IX); et cfr. Toscani et Cozza. *De imm. Deip. concept. hymnologia Graecorum*, Romae, 1862. — [3] Cfr. *The Month*, 1904 facs, maji. — [4] Cfr. Paschas. Radbert. († c. 860), *Tract. de partu Virginis*, apud Migne, *P. L.* **96**, p. 211. (Tractatus hic diu, sed immerito, s. Ildephonso Tolet. tribuebatur); s. Petrum Damian. *Sermo 40 de Assumpt.* apud Migne **144**, p. 719 et 721; Fulbert. Carnot. († 1029), *Sermo 6 de ortu Virg.*, apud Migne, **141**, p. 326.

Anglia[1]; quodsi mox, superveniente dominatione Nortmannica abolitoque calendario anglo-saxonico, cecidit, iterum restitutum est c. 1125, instigante praesertim Anselmo, abbate s. Edmundi, nepote magni Anselmi cantuariensis[2]. Exinde etiam in alias Europae partes extendi coepit[3].

252 At mox incoepit **controversia**, movente praecipue s. Bernardo, Virgini ceteroquin addictissimo, qui in ep. ad Canon. Lugdunenses (a. 1140) satis energice reprobavit conceptionis festum, inconsulta s. Sede Lugduni recens institutum, et simul contendit, conceptionem Virginis non fuisse sanctam. Allatis siquidem diversis suppositionibus falsis, sed omissa ea quam ecclesia postea sancivit, concludit: „restat ut post conceptum, in utero jam exsistens, sanctificationem accepisse credatur, quae excluso peccato sanctam fecerit nativitatem, non tamen et conceptionem". Postremo adjicit: „Quae autem dixi, absque praejudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanae praesertim ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc, sicut et cetera quae ejusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare"[4].

---

[1] Falsum igitur est, festum nostrum in terris occidentalibus initium habuisse a quodam abbate anglo Helsino, cui c. 1070 in naufragii periculo constituto angelus incolumitatem promisisset, injungendo ut festum conceptionis Mariae institueret ac propagaret. Cfr. Le Bachelet, op. cit. II, p. 19. — [2] Huic abbati Anselmo, vel secundum alios Aedmero, monacho cantuariensi, O. s. B. († 1124), tribuendus videtur *Tractatus de Concept. B. M. V.* apud Hurtur. *Opusc. SS. Patr.* XII, p. 197. Oppugnatores, qui ibi memorantur, intellegendi videntur duo episcopi angli, Rogerius et Bernardus. — [3] Patriam nostram quod attinet, festum primum institutum videtur in decanatu Farmsum (in Groningia) paulo post a. 1280. Postea memoratur in curia ep. Ultraject. a. 1327; Daventriae a. 1337; in Gelria a. 1346; in Hollandia a. 1351. Cfr. *Archief v. d. Gesch. Aartsb. Utrecht*, 28 (1902), p. 344. — Ex dioecesi Moguntina inventum est instrumentum emptionis „datum Jechaburg, anno Dni 1318 in die Conceptionis beate Marie Virginis honeste"; cfr. *Der Katholik*, 1903, II, p. 382. — [4] Ep. 174 *ad canon. Ludg.* n° 7 et 9. Genuinitatem hujus ep. immerito impugnavit Ballerini in suo *Sylloge*. — Quum s. Ber-

Minime defuerunt, qui festum ac doctrinam conceptionis 253
contra s. Bernardum, aliosque oppugnatores defendere conabantur, sed fateri debemus solemnes hujus epochae doctores fere ex opposito stetisse. S. Anselmus[1], Petrus Lombardus[2], Alexander Halensis[3], b. Albertus m.[4] immaculatam conceptionem saltem non explicite agnoverunt; ipsam tamen quaestionem, num *anima* Virginis aliquando peccato originali infecta fuit, nondum diserte posuerunt. De sententia s. Bonaventurae et imprimis s. Thomae disputatur; ingenue admittendum censeo, eos docuisse, animam Virginis in momento infusionis culpam originalem actu contraxisse, sed ante nativitatem, imo probabilius fere statim post infusionem mundatam fuisse[5]. Vix

---

nardus non distinguat inter conceptionem (passivam) inchoatam et completam, non absolute constat, eum etiam conceptionem completam habuisse pollutam. Sunt qui putant, verba s. Doctoris ita intellegi posse: „Restat, ut post conceptum in utero jam exsistens [secundum corpus, in ipso momento infusionis animae] sanctificationem accepisse credatur". Cfr. Hänsler. *De Mariae plenitudine gratiae secundum s. Bernardum*, (1901) p. 31. Verum hanc reapse fuisse mentem s. Bernardi, satis improbabile videtur. — [1]*Cur Deus homo*, II, 16. — [2]*Sent.* l. III, d. 3. — [3]Cfr. Pesch, *Prael.* III, n° 325. — [4]Cfr. Pesch, l. c. n° 327; L. Janssens, *Summ. Theol.* V, p. 100. — [5]Bonaventura: „Hic modus dicendi [„quod sanctificatio Virginis subsecuta est originalis peccati contractionem"] communior est et rationabilior et securior. Si autem quaeratur, qua die vel hora sanctificata fuerit, hoc ignoratur; probabiliter tamen creditur, quod cito post infusionem animae fuerit facta infusio gratiae" (*In III Sent.* d. 3, p. I, a. 1, q. 2, conclus. et qu. 3, conclus.). Postea Bonaventura, factus magister generalis Ordinis, pro toto suorum coetu festum conceptionis assumpsisse dicitur (a. 1263). Numquid igitur sententiam mutavit? Primo de institutione festi dubitatur (cfr. Vacant—Mangenot, *Dict. de théol. cath.*, II, p. 965); praeterea duo constant. Potuit festum assumere, quin sententiam mutaret, quum etiam antea (l. c. qu. 1, ad 4) scripserat, festum ita agi posse ut coleretur non conceptio praesens sed sanctificatio futura. Praeterea schola Franciscana usque ad Scotum sententiae negativae adhaesit. — Ex operibus s. Thomae plures afferuntur textus immaculato conceptui faventes; praecipuus et qui certo genuinus est sic habet: „Puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquid creatum inveniri quo nihil purius esse potest in rebus creatis si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas beatae Virginis,

opus est addere, illustres hosce magistros plurimos habuisse sequaces.

254 Quaeres, qua ratione haec tantorum virorum oppositio explicari queat, si immaculata conceptio in deposito revelationis vere continetur.

Plura veniunt consideranda. Privilegium Virginis tunc temporis saepe male proponebatur, v. g. ac si ageretur de munditia carnis aut de libertate a concupiscentia [1]; male explicabatur, ac si Virgo formata fuisset ex particula quadam carnis in Adam peccato subtracta et per omnes subsequentes generationes servata [2]; male defendebatur, provocando scil.

quae a peccato originali et actuali immunis fuit; fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum" (*in I Sent.* d. 44, q. I, a. 3, ad 3.). At ubi s. Doctor quaestionem ex professo tractat, manifesto oppositam partem tuetur. *In Comm. in libros Sent.* scribit: „Dicendum, quod sanctificatio Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae. Sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scil. per gratiām tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat" (*in III Sent.* d. 3, q. I, a. I, sol. ad 2am qu.; cfr. ad 3.). In *Summa Theol.* habet: „B. Virgo non fuit sanctificata nisi postquam cuncta ejus perfecta sunt, scil. corpus et anima... Si numquam b. Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium salvator. Nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione sanctus fuit. Sed b. Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata antequam ex utero nasceretur" (III, 27, 2c, et ad 2.). In *Quodlib. VI*, a. 7 habet: „Creditur enim quod cito post animae infusionem fuerit sanctificata". — Aut igitur Aquinas sibi contradixit, aut quod sane probabilius est, in textu supra allato immunitatem a peccato originali, non de ipso instanti infusionis intellexit. Qui plura voluerit, legat Pesch, *Prael.* III, n° 323 seq. aut L. Janssens, *Summ. Theol.* V, p. 93 seq; J. M. Arnoldi, *Sententia s. Thomae Aqu. de immunitate B. V. M. a peccato originali;* N. del Prado, *D. Thomas et Bulla dogm. „Ineffabilis Deus"*, 1900; *Rev. Thom.* 1923, p. 205. Ceterum si Thomas immaculatam conceptionem docuisset, quare propria ejus schola eum per plura saecula in sensum oppositum intellexit? — [1] Cfr. v. g. quae habet Nicolaus a s. Albano, apud Migne, *P. L.* 202, p. 622 seq. — [2] Cfr. v. g. quae habet Petrus Comestor (alius auctor) apud Malou, *L'immac. Concept.* II, p. 127 et 128. —

ad revelationes privatas parum fidas, scriptaque apocrypha[1]. Atqui his omnibus res non parum obscurabatur, et tota quaestio de originaria Virginis sanctitate viris doctioribus reddebatur suspecta.

Nihilominus causa principalis oppositionis aliunde repetenda est. Genuina notio immaculatae conceptionis duo complectitur; elementum prius: anima Virginis a primo instanti suae exsistentiae sancta fuit: *originalis puritas*; elementum alterum: anima Virginis peccatum originale contrahere debuisset, nisi gratia Redemptoris eam praeservasset: *debitum contrahendi et necessitas redemptionis*.

Elementum prius ecclesia orientalis satis diserte excoluerat, alterum vix tetigerat. Contra ecclesia occidentalis eas praecise veritates multum inculcare didicerat, ex quibus alterum dogmatis nostri elementum exsurgit: peccatum originale in omnes naturali generatione transfusum et universalis necessitas redemptionis. Res maxima parte explicatur ex adjunctis historicis: in Oriente detestatio haeresis nestorianae devotionem in sanctam Deiparam multum stimulaverat, in Occidente haeresis pelagiana occasio fuerat ut specialiter excoleretur doctrina de peccato originali. Hinc accidit, ut, quum in terris occidentalibus explicite asseri et coli inciperet originalis b. Mariae puritas, theologi imprimis quaererent, num talis assertio cum dogmatibus supra dictis componi posset. Porro alterum dogmatis nostri elementum, scil. qua ratione originalis sanctitas Mariae concilietur cum naturali generatione ex semine Adae atque cum necessitate redemptionis, hoc alterum elementum tunc temporis a fautoribus privilegii aut negligebatur aut saltem nullatenus explicabatur; nemini enim adhuc in mentem venerat *distinctio inter debitum contrahendi et actualem contractionem* peccati originalis. Hinc apud magistros scholasticos duplex difficultas insolubilis: quomodo

Phantasticam hanc explicationem saeculo elapso excitavit Rosmini; cfr. Denz. n° 1924. — [1] Cfr. Nicol. a. s. Albano, l. c. p. 623; s. Bernard. Ep. 174, n° 6.

generatio ex semine Adae potuerit libera esse a lege peccati, et: quomodo anima, a primo exsistentiae suae momento peccati expers, adhuc indiguerit redimi per Christum. Quodsi summi illi viri testimonia patrum orientalium et praxim illius ecclesiae cognovissent sicut nos ea novimus, forte cautius processissent. Nunc autem, quum hinc quidem haberent dogmata certissima de lege peccati et de universali indigentia redemptionis, illinc vero non nisi traditionem generalem de perfectissima Virginis sanctitate, concludendum putarunt: matri Christi adjudicandum est quidquid salvis certis fidei dogmatibus ei tribui potest: fuit igitur sanctificata ante nativitatem, et probabilius mox post animationem; ceterum quum perfectissima ejus sanctitas necessario interpretanda sit secundum analogiam fidei, ad ipsum instans animationis extendi nequit. Et ita factum est, ut scholae magistri ét tamquam testes traditionis talia de puritate Virginis dixerint, quae immaculatam conceptionem implicite continent [1], ét simul tamquam doctores privati ipsam immaculatam conceptionem non admiserint.

Ceterum duo abserva: excepto s. Anselmo omnes viri

[1] Nam v.g. apud s. Thomam haec leguntur: „In Christo et in Maria nulla omnino macula fuit" (*In Ps. 14*); Maria „nullam habuit obscuritatem peccati" *(In Ps. 18)*; „in qua nullum peccatum fuit" (*In Orat. domin. 26*); „augmentum puritatis est secundum recessum a contrario, et quia in b. Virgine fuit depuratio ab omni peccato, ideo pervenit ad summam puritatis; sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi" (*In I Sent.*, d. 17, q. 2, a. 4, ad 3.). Dices s. doctorem etiam haec effata, e traditione accepta, non intellexisse de puritate in ipso instanti infusionis animae. Esto! Sed primo ac principaliter ea intellegebat de *perfectissima puritate, quae salvo dogmate universalis redemptionis esse posset*. Sane ut matri Christi excellentissimam puritatem vindicaret, admisit eam per totam vitam a quolibet peccato actuali liberam fuisse, admisit eam adhuc in utero exsistentem sanctificatam esse, admisit eam tunc ampliores prae Jeremia atque Baptista gratias accepisse (*S. Th.* III, 27, 6, ad 1.), admisit eam cito post animationem fuisse sanctificatam. Quare hic stetit? Lege *S. Th.* III, 27, 2 c. et ad 2, et habes responsum: quia secus derogaretur Christo, omnium redemptori!

praedicti ad unam eamdemque scholam, parisiensem scil. pertinebant; et dum viri docti, rationibus theologicis impediti, immaculatam conceptionem abnuebant, festum conceptionis, utique non sine episcoporum auctoritate, in dies magis invaluit: conscientia catholica veritatem revelatam, utut inadaequate propositam et seriis difficultatibus obnubilatam, veluti instinctive amplectabatur!

Viam ad difficultates solvendas aperuit *Duns Scotus* († 1308), **255** primo satis timide, mox exploratius distinguendo inter contractionem labis et debitum contrahendi [1]. Ejus doctrina huc fere redit. Virgini tribuendum est excellentius, quod ei salvo dogmate universalis redemptionis tribui potest. Praeterea Christus, redemptor perfectissimus, personam sibi conjunctissimam, matrem scil., modo perfectissimo redimere debuit; perfectissima autem redemptio est praeservari a peccato incurrendo. Atqui talis redemptio non est impossibilis. Pone apud Virginem unionem animae ad carnem, peccati traducem, *non tempore, bene vero ratione* praecessisse infusionem gratiae; habes ab una parte debitum incurrendi labem originalem et necessitatem redemptionis, habes ab alia parte animam in primo instanti suae exsistentiae gratia Christi ornatam; a.v. habes immaculate conceptam, et simul gratia Christi redemptam. Virgini tribuitur quod excellentissimum est, et honor Redemptoris non minuitur sed augetur [2]! Vides Scotum nihil aliud fecisse, quam ostendere, qua ratione originalis Virginis puritas cum aliis fidei dogmatibus componi posset. Sed hoc sufficiebat, ut theologi vim antiquae traditionis de omnimoda Virginis sanctitate agnoscere inciperent. Utique paulatim, obstabat enim auctoritas magistrorum solemnium!

Doctrinam Scoti, a discipulis ejus Petro de Aureolis († 1321) **256**

[1] Quae de *Disputatione parisiensi* narrari solent, veritate niti non videntur. Cfr. *Zeits. f. kath. Theol.* 1906, p. 454. — [2] *In III Sent.* d. 3, q. I, n° 4 seq.

et Franc. de Mayronis († 1327) explicatam et propugnatam, plurimi doctores imprimis e schola Franciscalium susceperunt. Academia parisiensis a. 1384 et a. 1387 privilegium Virginis strenue defendit, a. 1469 cuncta sua membra juramento ad ejus defensionem obligavit; idem fecit a. 1501 academia moguntina; conc. basileense a. 1439, prorsus illegitime tamen, immaculatam conceptionem omnibus tenendam proposuit [1]; romani pontifices inde a Sixto IV (a. 1476) doctrinam et festum diversis modis fovebant, contradictores cohibebant, ita ut saec. XVI card. Cajetanus († 1530) scriberet: „Doctores tenentes, b. Mariam esse praeservatam a peccato originali, sunt numero infiniti si ad modernos spectemus"; et s. Canisius († 1597): „Qui secus modo sentiunt, eorum sane rarus est numerus". Persistebat nihilominus opinio contraria, praesertim intra scholam dominicanam; quod, si auctoritatem divi Thomae et rivalitatem scholarum consideres, non ita mirum est [2]. In conc. trident. plurimi immunitatem a labe originali ut „sententiam piam" commendare voluerunt, sed pacis causa sancita fuit formula neutri sententiae praejudicans [3]. Denique a. 1849 Pius IX omnes catholici orbis episcopos rogavit, ut „quid de definitione ferenda sentirent, quidve optarent" scripto aperirent; accepit responsa 543, e quibus 484 definitionem petiverunt, 18 eam non esse faciendam judicarunt, reliqui definitionem indirectam praetulerunt aut de opportunitate dubii haeserunt [4].

257 **Scholion 2.** *Expediuntur objectiones.* — Dogmati nostro tria praesertim opponuntur: **a.** doctrina Scripturae de universalitate peccati originalis; **b.** doctrina Patrum asserentium, solum Christum privilegio virginalis conceptionis ab omni prorsus peccato fuisse immunem [5]; **c.** doctrina ss. Augustini

[1] S. 36; cfr. Hefele, *Conciliengesch.* VII, 2, p. 781. — [2] Cfr. Pesch. *Prael.* III, n° 346 seq. — [3] Cfr. S. 5, Denz. n° 792; Pallav. *Hist. du Conc. de Trente*, l. VII, chap. 7. — [4] Ita Le Bachelet, Op. cit. II, p. 53. — [5] Cfr. v. g. s. Ambros, *In Luc.* II, 55; s. August. *De pecc. merit. et remiss.* I, n° 57; s. Leo I, *Sermo 5 in Nativ. Dom.* n° 5; s. Greg. M. *Moral.* 18, c. 52.

et Fulgentii dicentium, carnem Virginis fuisse carnem peccati[1].

Resp. ad a. — Doctrina de universali transfusione peccati originalis vera manet, etsi ex specialissimo titulo una aliqua persona excipiatur. Fatemur hujusmodi privilegium admitti non posse nisi probetur, sed in casu reapse probatur tum argumentis theologicis, quae supra exposuimus, tum potissimum diserta declaratione ecclesiae, „cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sacrarum"[2]. Merito itaque Virgini applicantur verba regis ad Esther: „Non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est"[3]. — Ceterum etsi peccatum originale non fuerit actu transmissum in Virginem, ipsa aliquo saltem sensu subfuit legi peccati, quatenus vi conceptionis suae peccatum debuisset contrahere, nisi peculiari gratia praeservata fuisset.

Ad b. — Assertum alicujus patris: solus Christus ab omni 258
peccato liber fuit, non statim cogere ad conclusionem: ergo hic sanctus etiam Mariam peccati ream judicavit, patet ex exemplo s. Augustini, supra[4] allato. Et illustratur exemplo ecclesiae, quae etiam hodie cantare solet: „Tu solus sanctus... Jesu Christe!" Igitur peccatum originale quod attinet, patres assertione sua inculcare voluerunt, solum Christum ita ab originali labe immunem fuisse, ut non solum de facto ea caruerit, sed insuper per se, imo necessario, ab ea exemptus fuerit. Fuit immunis *per se*, i. e. vi conceptionis ex virgine (quod ex professo addere solent Patres), ita ut lex peccati eum nullo modo tangeret; unde, etiamsi fuisset merus homo, labem non contraxisset. Fuit etiam *necessario* immunis, quia Deus erat. Proinde alia omnino erat immunitas Christi, alia immunitas Virginis, quae nec necessario, nec per se, sed ex gratia et privilegio labe caruit. Porro haud contendimus,

[1] Cfr. v. g. s. Augustinum, *De pecc. merit. et remiss.* II, n° 38; *De Gen. ad litt.* X, 18, 32; Fulgent. Rusp. *Ep. 17 de incarn. et grat.* n° 13. cet. — [2] *Conc. Trid.* S. 4. — [3] *Esther* 15, 13. — [4] N° 247.

Patres dicendo, unum Christum ab omni peccato alienum fuisse, semper actu cogitasse: idem alio sensu etiam valet de Virgine, id enim persuasionem explicitam supponeret. Sed dico, eos sensu verissimo scribere potuisse: solus Christus a peccato immunis est, quin reapse sentirent, Virginem aliquando actu inquinatum peccato fuisse.

259 Ad c. — Habere carnem peccati non necessario significat vero peccato infectum esse aut fuisse, nam alii patres ipsi Christo tribuerunt carnem peccati, intellegendo carnem passibilem et mortalem, sumptam de stirpe vitiata[1]. Porro s. Augustinus, quum Virgini etiam pro tempore conceptionis Christi carnem peccati tribuat, nihil aliud intellexisse videtur quam carnem Mariae, per viam ordinariam concupiscentiae productam esse, aut forsitan ipsam Virginem non fuisse immunem a fomite. S. Fulgentius difficilius salvatur, quia addit: „Si caro peccati non mendaciter dicitur, habet in se caro ipsa peccatum"; potest tamen intellegi de solo materiali peccati originalis, n.p. de concupiscentia.

Ceterum concedi potest et debet, quosdam veteres de re nostra, tunc nondum discussa et minime eliquata, durius locutos fuisse aut etiam errasse. Quod valet v.g. de Ferrando diacono[2].

260 **Scholion 3.** *Num in b. Virgine fuerint sequelae peccati originalis?* — Ex tractatu *de Deo Creatore* notum est, concupiscentiam, passibilitatem, mortem, quamvis ex principiis naturae sibi relictae causentur, in praesenti ordine naturae elevatae de facto esse sequelas peccati originalis. Hinc praeservatio a peccato originali in b. Virgine saltem haec duo effecit: **a.** ut non esset in ea *debitum* praedictas sequelas subeundi; **b.** ut, si nihilominus unam aut plures earum subierit, certe *rationem poenae* in ea non habuerint[3].

[1] Tertull. *De carne Christi*, 16; s. Hilarius, *De Trinit.* I, 13. — [2] *Ep. 3 ad Anatol.* n° 4. — [3] Cfr. Denz. n° 1073.

Quum tamen gratia sanctificans, utut copiosissima, defectus supra dictos per se non excludat, quaeritur utrum in Maria fuerint necne? Qua in re considerandae sunt dignitas et conditio Virginis; dignitas quidem propter quam Deus voluit, ut ea sanctitate niteret, qua major sub Deo non intellegitur; conditio vero, quae postulabat ut Filio suo quam maxime conformaretur, minime vero illum superaret.

Jam *passibilitas* ac *mortalitas* ét cum perfectissima sanctitate quadrant, ét ab ipso Christo in finem redemptionis nostrae assumptae sunt. Has igitur etiam Virgo habuit.

Concupiscentia vero quae ad peccatum inclinat, proinde naevam quamdam moralem inducit, perfecto sanctitatis nitori repugnat; unde etiam in Christo non fuit. Hinc communis et certa theologorum sententia est, Virginem per totam vitam suam immunem fuisse a motibus concupiscentiae. Plures Patres rem aperte testantur[1]; unde etiam admittebatur ab iis doctoribus, qui tempore controversiae de immaculata conceptione minus recte sentiebant. Et hi quidem docere solebant, fomitem in b. Virgine ante incarnationem Verbi fuisse tantum ligatum, postea vero omnino extinctum[2]. Sed admisso dogmate immaculatae conceptionis, haec distinctio, quae ceteroquin non ita facile explicatur[3], fundamento carere videtur. Nam si Deus Virginem, ut perfecto sanctitatis nitore fulgeret, a peccato originali immunem praeservavit, quidni eam statim liberasset a fomite, peccati originalis effectu humiliante et aliquatenus saltem inquinante?

---

[1] V. g. s. Joes. Damasc.: „Ave liber signatus, libidinosa omni cogitatione innoxius". *Orat. 2 in Nativ. Deip.* n⁰. 7. — [2] Cfr. *S. Th.* III, 27, 3; 4 ad 1; *Comp. theol.* c. 224. — [3] Cfr. v. g. Pesch, *Prael.* III, n⁰ 355; Scheeben, *Handb. d. kath. Dogmatik*, III, p. 562.

Art. III

DE GLORIA ET INTERCESSIONE B. MARIAE IN COELIS

261 PROP. 1. **Theologice certum est, b. Virginem etiam corpore in coelum assumptam esse.** [1]

B. Virginem *mortuam* esse indubium est [2]; de tempore aliisque mortis adjunctis nihil certi traditum est, nisi quod multa suadent eam Jerosolymis, non Ephesi, supremum diem obiisse [3]. Rationabiliter creditur, eam non vi morbi, sed potius amore et supernae beatitudinis desiderio consumptam esse.

Animam Virginis statim post mortem super choros ange-

---

[1] Cfr. *Postulata* (200 fere Patrum) *pro dogmatica definitione assumptionis corporeae B. M. V.*; in *Coll. Lacens.* VII, p. 868; M. Vaccari: *De corporea Deiparae assumptione an dogmatico decreto definiri possit*, Ed. 2a, 1881; Jürgens, *Die Ueberlieferung v. d. leiblichen Aufnahme d. sel. Gottesmütter* in *Zeits. f. kath. Theol.* 1880: p. 595; Janucci, *De Deiparentis assumptione disquisitiones*, Taurini, 1884; Perrella, *Quaestio utrum B. V. etiam corpore evecta fuerit in coelum*, Neapol. 1901; Vacant-Mangenot, *Dict. de Theol. cath.* in v. *Assomption*; Dom Renaudin *L'assomption de la T. S. Vierge, sa definibilité*, 1913; Joh. Ernst, *Die leibliche Himmelfahrt Mariä historisch-dogmatisch nach ihre Definierbarkeit beleuchtet*, 1921; T. H. Godts, *Définibilité dogmatique de l' Assomption corporelle de la T. S. Vierge*, 1924; G. Matiussi, *Utrum corporea Virginis assumptio ad fidei cath. depositum spectet*, 1922; *L' Assunzione corporea della vergine Madre di Dio nel dogma cattolico*, 1924; *Études*, 1923, T. 176, p. 257; *Nouv. Rev. théol.* 1914, p. 453; *Ned. Kath. St.* 1924, p. 23. — [2] De morte b. Virginis solus s. Epiphanius nonnihil dubitavit: „Ex una parte illud occurrit quod de illa pronuntiat: „Et tuam ipsius animam pervadet gladius". Aliunde vero in Apocalypsi Joannis [12, 13] legimus: draconem adversus mulierem properasse, et datas ei esse pennas aquilae et translatam esse in desertum. Quod quidem in illa potest esse impletum. Quamquam illud non affirmo penitus, aut immortalem perseverasse definio, aut utrum mortua sit confirmare possum . . Aut mortua est virgo sancta ac sepulta; in honore mors illius est et in castitate exitus et in virginitate corona; aut interfecta est, ut indicare Scriptura [*Luc.* 2, 35] videtur: in martyribus est decus ejus, et *in beatitudinibus sanctum ejus corpus*, per quod mundo lumen illuxit; aut denique mansit in vita. Non enim impossibile Deo omnia facere quae vult · finem autem ejus nemo scit" (*Haer* 78, n° 11 et n° 23.) — Dubitationem, diu sepultam, excitare nisus est Arnaldi, *Super transit. B. M. V. dubia proposita*, 1879. — [3] Cfr. Nirschl, in *Der Katholik*, 1894, II, p. 385; 1895, I, p. 154; 246; 324; *Rev. Bibl.* 1899, p. 141 et p. 589.

lorum ad coelestia regna exaltatam esse, post ea quae de sanctitate Deiparae diximus, probatione non indiget.

Corpus Mariae a corruptione sepulchri servatam et mox, anticipata resurrectione, in coelos assumptum esse dogma fidei non est, sed argumentis theologicis ita constat, ut sine *temeritate* negari non possit. Alii graviorem censuram statuunt.

Probatio. — 1° *S. Scriptura.* Nonnulli theologi provocant **262** ad textus V. T., dicendo eos a patribus in sensu typico de Virgine intellectos esse [1]; patres reapse non typicum sensum aperuerunt, sed accomodationibus usi sunt. — Alii melius sentiunt, rem nostram aliqua ratione contineri aut saltem insinuari in protoevangelio et salutatione angelica [2]; quo in genere jam Alexander pp. III scripsit: „Maria concepit sine pudore, peperit sine dolore, et hinc migravit sine corruptione, juxta verbum angeli, imo Dei per angelum, ut plena, non semiplena gratiae probaretur" [3]. Etiam s. Thomas ad plenitudinem gratiae refert, quod Maria immunis fuit ab ea maledictione, vi cujus omnes in pulverem revertuntur [4]. Fatendum tamen est, assumptionem Virginis in Scriptura saltem non ita contineri, ut ex sola Scriptura probari possit.

2° *Traditio.* Disertis testimoniis constat, circa finem saec. VI **263** corpoream Deiparae assumptionem in diversissimis ecclesiae partibus fuisse creditam.

In *Oriente.* S. MODESTUS HIEROSOLYM. († 634) dicit: „Christus Deus illam elegit, et corpore induit incorruptibilitate ac supra modum glorificavit, ut sua esset haeres, utpote sanctissima sua mater ... Hodie rationale tabernaculum, quo mirum in modum exceptus est in carne Deus, ab eo compositum est et consecratum, ut sit in aeternum incorruptibilitatis consors cum ipso, ad protectionem omnium nostrum christianorum" [5].

[1] V. g. *Ps.* 44, 10; 131, 8; cfr. Renaudin in *Rev. Thom.* 1902, p. 21—46. — [2] Cfr. v. g. Terrien, *La Mère de Dieu.* I, 2, p. 343; de la Broisse in *Études.* 1902 (fasc. Maji). — [3] Ep. 22, apud Terrien, l. c. p. 344. — [4] *Expos. salut. angel.* 8. — [5] *Encom. in dormit. Deip.* n° 5 et 6.

In *Gallia* S. GREG. TURON. († 594) scribit: „Dominus susceptum corpus sanctum [Mariae] in nube deferri jussit in paradisum, ubi nunc resumpta anima cum electis ejus exsultans, aeternitatis bonis, nullo occasuris fine, perfruitur"[1].

Apud *Graecos* festum „dormitionis" B. V. aut institutum, aut ex multorum sententia solemnitate auctum fuit sub imperatore Mauritio († 602)[2]. Quod autem hoc festo glorificatio non solius animae, sed etiam corporis celebrabatur, patet ex homiliis s. Andreae Cretensis, Germani Cp., Joannis Damasc.

Romae idem festum celebrabatur saec. VII, nam Sergius papa (687—707) „constituit, ut diebus Annuntiationis Domini, Dormitionis et Nativitatis s. Dei Genitricis" haberetur processio[3].

264 Temporibus subsequentibus, doctrinam de corporea Virginis assumptione fuisse communem in ecclesia constat apud omnes; nam dubitationes, quas praesertim in Gallia excitavit epistola quaedam, circa a. 800 sub ementito b. Hieronymi nomine edita[4], et quas saec. XVII refocillarunt Claudius Joly et Launoy, inferioris momenti fuerunt.

Habes igitur doctrinam religiosam, per duodecim saecula consensu saltem moraliter universali admissam, publice praedicatam, solemniter celebratam in tota ecclesia. Atqui supposita assistentia Spiritus S. ecclesiam regentis et in omnem veritatem inducentis, consensio tam universalis et constans est argumentum saltem theologice certum veritatis. Quum autem agatur de facto, quod non nisi divino testimonio innotescere potuit, glorificatio scil. corporis b. Mariae in coelis, adhuc concludendum videtur, rem nostram esse veritatem revelatam, atque in deposito fidei comprehensam.

---

[1] *Miracul.* l. I, c. 4; cfr. c. 9. — Niceph. Callisti, *H. E.* 17, 28. — [2] *Lib. pontif.* Ed. Duchesne, I. p. 376; ceterum de origine festi assumptionis b. Virginis cfr. *Rev. August.* 1907, p. 529. — [4] Ep. „*Cogitis me*"; ad Paulam et Eustochium, Migne, *P. L.* **30**, p. 126.

Fatemur nihilominus, originem apostolicam doctrinae nostrae 265
directe probari non posse; desunt enim usque ad finem saec. VI documenta genuina, quae fidem faciant[1]. Exstiterunt quidem plura scripta de transitu Virginis, quorum initia judicio eruditorum ad saec. IV, imo forte ad saec. II ascendunt[2], sed quum incertae ac suspectae originis sint fabulisque scateant, in testimonium allegari nequeunt. Quum autem Patres numquam ad hos apocryphos provocarint, quum Gelasius papa c. 494 librum de transitu Virginis ex professo rejecerit, immerito adversarii dicunt, ecclesiam doctrinam suam de corporea Virginis assumptione ab hujusmodi apocryphis mutuasse. Contra, suppositis iis quae supra de consensu ecclesiarum inde a saec. VII diximus, praesumendum est, apocryphorum scriptores substantiam suae narrationis, ipsum scil. factum assumptionis e traditione et sensu ecclesiae hausisse, sed eam pro libitu adjunctis miraculosis imo et fabulosis exornasse.

3° *Rationes convenientiae* facile invenies, si intimam Virginis cum Christo conjunctionem, et ejus ab originali peccato immunitatem consideraveris.[3]

PROP. 2. **B. Virgo, in coelos assumpta, ita pro nobis 266**
intercedit, ut sine ejus suffragio nulla nobis gratia dispensetur.[4]

[1] Observa tamen verba s. Epiphanii supra (n° **261, in *nota***) relata doctrinae de assumptione Virginis multum favere. Contra incertae originis, dubiaeque fidei est „antiqua et verissima traditio", quam circa medium saec. V invocasse dicitur Juvenalis, ep. Hierosolym. Tota narratio, dempta qualificatione *„verissima"*, invenitur in *Brev. Rom.* die 4 inf. oct. Assumpt. Lect. 4—6. Desumpta est ex hom. 2 s. Joannis Damasc. *in dormitionem Deiparae* n° 18, cui tamen posteriori manu inserta esse videtur. Cfr. Bardenhewer, *Patrol.*² p. 518. Et observetur, adjuncta mortis et sepulturae Virginis, quae Damascenus in eadem homilia (n° 4 — 15) depingit, ab ipso *conjecturaliter* tantum proponi (n° 4.) — [2] Cfr. Terrien, l. c. p. 354; Le Hir, *Etudes Bibliques*, II, p. 148. — [3] Cfr. *Rev. du Clergé fr.* 1918, T. 95, p. 81 sequ.; *Theol. prakt. Quarts.* (Linz), 1921, p. 381 sequ. — [4] R. M. de la Broise et J. V. Bainvel, *Marie mère de grâce.* Etude doctrinale, avec introduction par S. Em. le card. L. Billot, 1921 (Cfr. *Eph. Theol. Lovan.*

Supra egimus de parte, quam Mulier benedicta habuit in ipso opere reparationis nostrae i.e. in acquisitione gratiae Christi; modo quaeritur de parte, quae ei ex voluntate Dei competit in applicatione fructuum redemptionis, i.e. in dispensatione gratiae Christi.

Manifestum est, b. Mariam in hoc negotio non alia ratione intervenire quam *per viam intercessionis* seu suffragii, unde locutio metaphorica: gratia Christi nobis per manus Mariae impertitur, in hunc tantum sensum intellegenda est. Valor intercessionis virginalis apud Deum partim nititur meritis, quae Maria cum in terris viveret, et praecipue cum sub cruce Domini doloris gladio transfigeretur, sibi comparavit. Sed alte recolendum est, omne meritum Virginis, sicut cujuslibet hominis redempti, fundari in merito Christi, ab eoque totum pendere. Praeterea quidquid Virgo petit, per Christum petit atque ob merita Christi.

B. Virginem in coelis assumptam revera pro nobis intercedere, ejusque suffragia nobis utilissima esse, fides catholica apertissime habet; intercessionem Deiparae plus valere apud Deum quam preces aliorum sanctorum, non est quod ex professo adstruamus[1]. Sed quaestio est, num Virgo gloriosa universali quadam mediatione fungatur, ita ut nulla gratia a Deo in homines redemptos descendat, quam ipsa non postulaverit. Partem affirmativam defendimus, non ut dogma fidei, neque ut doctrinam catholicam, a qua recedere fas non esset, sed ut *sententiam piam ac solide probabilem*. Ne res praepostere intellegatur, haec observamus.

1925, p. 223); Chr. Pesch, *Die selige Jungfrau Maria, die Vermittlerin aller Gnaden*, 1923; J. Bover, *De b. Virgine universali gratiarum mediatrice*, 1921; E. Hugon, *La mère de grâce*; *Studiën*, 1911, T. 76, p. 973 et 1045; 1922, T. 97, p. 117 et 204; *Pastor bonus*, 1921, T. 33, p. 308; *Rev. eccl. de Liège*, T. XIII, p. 84; *Zeits. f. kath. Theol.*, 1923, p. 129; *Civiltà catt.*, 1924, II, p. 209 et 324, *Gregor.*, 1924, p. 25; *Theol. u. Gl.*, 1925, Jg. 17, p. 16; *De Standaard van Maria* 1923, p. 31 et 65; 1924, p. 289 et 325. —

[1] Doctrinam catholicam de intercessione Sanctorum, in tract. *de Deo Consummatore* probandam, hoc loco supponimus.

a. Mediatio (utique secundaria et subordinata) Virginis in **267** distributione gratiae non ex se, sed solum *ex positiva ordinatione divina* requiritur Potuisset Deus quaslibet gratias elargiri absque interventu Virginis, sed ob rationes sapientia sua dignas decrevit, eas de facto non dare nisi ipsa intercedente. Nec sequitur, Deum in distribuendis donis suis dependere a Virgine, tum quia voluntas immutabilis nullo modo ligatur aut impeditur ordine a seipsa libere sancito, tum quia Deus Virgini inspirare potest, ut libere petat, quidquid ipse peti vult. Ergo circuitus inutilis? Non inutilis, nam per illum uberius manifestatur divina bonitas, quae causas secundas a se productas et ordinatas honorat in eo, quod eas ad opera sua multipliciter concurrere faciat.

b. Difficultatem facere videtur *gratia, quae datur per sacramenta.* Ipsa efficacia sacramentorum ab interventu Virginis non dependet; sed nihil impedit, ab ejus suffragio pendere, tum quod sacramentum alicui ministretur, tum quod cum debita dispositione recipiatur.

c. Aliud est, nullam gratiam dari absque intercessione Virginis, aliud omnino: nullam gratiam dari, nisi suffragium Virginis *a nobis invocetur.* Quemadmodum Deus plurima non rogatus largitur, ita et „mater misericordiae" multoties intercedere credenda est, quin rogetur. Igitur pia sententia, quam defendimus, nullo modo importat, invocationem Virginis esse absolute necessariam ad salutem. Id unum sequitur, difficilius salvari eum, qui partem Virginis in dispensandis gratiis non ignorans, eam invocare habitualiter negligit.

d. Doctrinam de universali intercessione Virginis coarctamus ad *tempus, ex quo Maria in coelum assumpta est.* Per se patet, gratias, quae in V.T. dabantur propter futura merita Christi, suffragio Virginis erogatas non esse. Et quamvis certissimum sit, orationem Deiparae in terris adhuc degentis, plurimum valuisse, intercessio universalis congruentius supponere videtur, Virginem nosse omnes singulorum necessitates. Talem autem cognitionem certe non habuit, antequam ad

visionem Dei intuitivam fuit admissa [1]. Praeterea si intercessio virginalis nititur meritis ejus, conveniens fuit, ut nonnisi post completa merita ultimam suam perfectionem acquireret.

268 *Probatur.* — 1° *Ratione theologica*, n. p. ex nexu hujus doctrinae cum veritate revelata. Putamus enim doctrinam nostram per modum conclusionis fluere ex iis, quae revelatio habet de parte Mariae in opere reparationis humanae.

Voluit Deus, ut Christus, totius gratiae fons, nobis daretur per liberam cooperationem Mariae; voluit insuper, ut Christo seipsum sacrificanti Maria consentiendo et compatiendo adstaret; voluit itaque ut Maria partem aliquam, secundariam quidem et subordinatam, sed tamen veram haberet in comparatione thesauri illius, unde omnis gratia hauritur.

Atqui cohaerentia operum divinorum omnino exigere videtur, ut quae gratiosa electione Christo sociata exstitit ad comparationem thesauri, vi ejusdem electionis etiam ad dispensationem illius thesauri suo modo cooperetur.

Vides conclusionem non sola convenientia niti, sed cohaerentia operum divinorum, quae et ipsa revelata est. Sane docente Paulo scimus, quod „sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei" [2]. Quum igitur Deus ordinem semel electum non deserat, sed in omnibus operibus suis sapienti continuitate utatur, ex parte consilii divini revelatione cognita merito concludimus ad aliam partem, non revelatam, sine qua opus Dei veluti mancum esset et necessaria cohaerentia careret.

Ceterum res nostra etiam insinuatur habitudine novae Evae ad veterem. Siquidem prima Eva ad ruinam nostram non ita tantum cooperata est, ut Adam ad peccandum induceret, sed etiam in eo, quod labes originalis ex Adam per Evam in posteros descendat.

---

[1] Cfr. Suarez, *De Myst. Christi*, disp. 23, s. 1, § 4. — [2] *Rom.* 11, 29.

2° *auctoritate*. Apud veteres Patres pauca admodum in- 269
veniuntur; habes tamen S. GERMANUM CP. (†733): „Nemo per misericordiam donum consequitur, nisi per te"[1] et: „Nemo nisi per te, o castissima, cui donum indulgetur; nullus nisi per te, o honoratissima, cui gratiae munus misericordia praestetur"[2].

Universalem mediationem Mariae diserte docuit s. BERNARDUS: „Altius ergo intueamini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens.... Totis praecordiorum affectibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam"[3]. — „Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariae manus non transiret"[4].

Sequuntur v. g. ALBERTUS M.: „Ipsa [Maria] omnium bonitatum universaliter distributiva". „Beatissima Virgo plena est gratiarum omnium quantum ad numerum, quae omnes ad numerum transeunt per ipsius manus"[5]. JOES. GERSON (†1429): „Maria mediatrix nostra, per cujus manus Deus ordinavit dare ea, qua dat humanae naturae"[6]. — S. BERNARDINUS SENENSIS († 1444): „Omnium gratiarum, quae humano generi descendunt, sicut Deus generalis est dator, et Christus est generalis mediator, sic per beatam Virginem generaliter dispensantur. Nam ipsa est collum capitis nostri, per quod omnia spiritualia dona corpori ejus mystico communicantur"[7]. — S. ANTONIUS FLORENT. († 1459): „Per b. Mariam exivit de coelis, ad nos quidquid umquam gratiae creatum venit in mundum, unde et dicitur: mater gratiae et

---

[1] *Serm. in dormit. Deipar.* n° 2. — [2] *Hom. in s. M. zonam*, n° 5, — [3] *Serm. de aquaeductu* n° 6 *et* 7. — [4] *Serm.* 3 *in Vigil. Nat. Dom.* n° 10. — [5] *Quaest. super Missus est*, qu. 29, § 2; qu. 164; apud Terrien, l. c. II, 1. p. 378 et 379 — [6] *Serm. de annunt. b. Virg.* (*Opp.* Ed. Paris., 1616, IV, p. 696). — [7] *Dom. I in Quadr.* Sermo 10, a. 1, c. 3. (*Opp.* Ed. Paris, 1635, II, p. 483).

mater misericordiae"[1]. — SUAREZ: „Sequitur, non solum esse a nobis Virginem orandam, sed etiam prae omnibus sanctis, nam quidquid alii impetrant aliquo modo per Virginem impetrant, quia, ut Bernardus dixit, illa est mediatrix ad mediatorem et veluti collum, per quod influentiae capitis ad corpus descendunt"[2]. — BENEDICTUS XIV: „Ipsa est coelestis veluti rivus per quem gratiarum omnium atque donorum fluenta in miserorum mortalium sinum deducantur"[3]. — S. ALPHONSUS, qui universalem intercessionem b. Virginis ex professo propugnavit, et contra Lamindum Pritanium (Muratori) defendit[4]. — LEO XIII: „Vere proprieque affirmare licet, nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus, siquidem gratia et veritas per Jesum Christum facta est, nihil nobis nisi per Mariam, Deo sic volente impertiri; ut quomodo ad summum Patrem nisi per Filium nemo potest accedere, ita fere nisi per matrem accedere nemo possit ad Christum"[5]. — PIUS X: „Ex communione dolorum ac voluntatis Mariam inter et Christum, promeruit illa ut fieret universorum munerum dispensatrix, quae nobis Jesus nece et sanguine comparavit"[6]. — BENEDICTUS XV; Dici merito potest: „Ipsam [Mariam] cum Christo humanum genus redemisse. Quodsi hac plane de causa, quas e Redemptionis thesauro gratias omne genus percipimus, eae ipsius Perdolentis Virginis veluti e manibus ministrantur"; [7].

270 3° *S. Liturgia* universali intercessioni Virginis saltem favet. Sane b. Maria vocatur „mater divinae gratiae" et „janua coeli"; salutatur ut „vita, dulcedo et spes nostra"; ipsi

---

[1] *Summa theol.* p. 4, t. 15. c. 20, § 12. — [2] *De Myst. Christi*, disp. 23, s. 3, § 5. — [3] Bulla; *Gloriosae dominae*, 27 Sept. 1748; in *Instit. Soc. Jesu* (Ed. Florent. 1886), t. III, 1, p. 284. — [4] *Glorie di Maria*, p. 1, ch. 5 — [5] Encycl. *Octobri mense*, 22 Sept. 1891, in *Leonis XIII Alloc.* cet. (Ed. Desclée) V, p. 10; cfr. Encycl.: *Jucunda semper*, 8 Sept. 1894 (l. c. V, p. 298). — [6] Encycl. *Ad diem illum*; 2 Febr. 1904. — [7] Cfr. *A. A. S.*. 1918, p. 181 sequ.

applicantur verba Scripturae: „In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis"[1]. Denique novissime pro aliquibus locis approbata est oratio: „Deus, qui per immaculatam genitricem Filii tui, omnia nos habere voluisti, da nobis tantae matris auxilio"[2]...; imo aliquibus locis concessum est officium et festum in honorem b. Mariae omnium gratiarum mediatricem.[3]

Scholion. *B. Virgo est mater nostra*[4]. — Solemne omnibus **271** est, Mariam salutare matrem nostram in ordine supernaturali. Est autem mater nostra: **a.** titulo spiritualis *cognationis nostrae cum Christo*. Christus nos adoptavit in fratres, imo in membra sua, ita ut unum corpus mysticum cum illo efformemus, secundum illud AUGUSTINI: „Totus Christus caput et corpus est: caput unigenitus Filius Dei, corpus ejus ecclesia"[5]. Porro si apud omnes receptum est, ut uxor genitricem mariti sui matris nomine salutet, quia uxor et maritus sunt „duo in carne una" nonne potiori jure nos, qui „unum corpus sumus in Christo"[6], genitricem Christi matrem vocamus? — **b.** Titulo *cooperationis* suae ad magnum opus redemptionis, quo vita spiritualis nobis fuit promerita. S. AUGUSTINUS: „Maria Mater membrorum ejus [Christi], quod nos sumus, quia cooperata est caritate, ut fideles in ecclesia nascerentur"[7]. Et observa eam, quae proprium filium sine dolore genuit, filios adoptivos cum intimo dolore et gemitibus peperisse: „Stabat juxta crucem Jesu Maria mater ejus, quae tacta in nos caritate immensa, filium ipsa suum ultro obtulit justitiae divinae, cum eo commoriens corde, doloris gladio transfixa"[8]. — **c.** Titulo *sollicitudinis* vere maternae,

---

[1] Ex *Eccli.* 24, 25. *Miss. Rom.* in festo Nominis b. Mariae, *Epist.* — [2] *Miss. Rom.* in festo manifest. b. M. a. s. Numismate (27 Nov.); *post-comm.* — [3] Cfr. *De Standaard van Maria*, 1921, p. 193 sequ. — [4] Cfr. *Theol. prakt. Quarts*, (Linz), 1922, p. 585. — [5] *Ep. c. Donat. de unit. eccl.* 4, 7. — [6] *Rom.* 12, 5. — [7] *De Virginit.* c. 5. — [8] Leo XIII, Encycl.: *Jucunda semper*, 8 Sept. 1894 (*Alloc.* V, p. 293.). — De verbo Christi

qua continuo pro nobis intercedit et necessitatibus nostris prospicit, nam „omnibus omnia facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima caritate debitricem se fecit. Omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam"[1].

Quae cum ita sint, magna reverentia, sincero amore, filiali fiducia prosequamur coelestem hanc matrem, quae „praeterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet"[2]; „studeamus **per Mariam ascendere ad Christum, qui per ipsam descendit ad nos**"[3].

„Mulier, ecce filius tuus" (*Jo* 19: 26) legantur: H. Legnani, *De theologica certitudine maternitatis B. M.V. quoad fideles juxta verbum: mulier, ecce filius tuus; Zeits. f. k. Theol.*, 1923, p. 391; *Pastor bonus*, 1923, T. 35, p. 197 et 275. — [1] S. Bernard, *Sermo de 12 praerogat.*, n° 2, — [2] L. c. n° 3. — [3] S. Bernard, *In adventu, sermo* 2, n° 5.

INDEX ALPHABETICUS.

(INDICANTUR NUMERI MARGINALES).

Academia parisiens. primum imm. concept. adversaria, 254, postea fautrix, 256.

Adoptianismus, 81.

Adoptio, quid 82; in Christo admitti nequit, 82; 84.

Adoratio. quid, 88; — Christo debita 90; qua ratione in Christo adoretur humanitas, 94.

Agnoetae, 104.

Almah, 201.

Angeli, quomodo eis profuit opus Christi, 183.

Apelles, 28.

Apollinaristae, 28.

Ascensio Christi in coelum, 190.

Assumere, quid. 60.

Assumptio, B. Virginis, 261.

Augmentum gratiae in B. Virgine, 235.

S. Augustinus de omnimoda puritate B. Virginis, 228; 247.

S. Bernardus reprobavit festum et sanctitatem conceptionis B. Mariae, 252.

S. Bonaventura de imm. concept. 253.

Cajetanus, ejus sententia de ratione formali unionis hypostaticae, 57.

Caro Christi non corrupta in sepulchro, 187.

Caro peccati in Christo, et in B Virgine, 259.

Christus, verus Deus 13; divinitatem suam prudenter docuit, 17; verus homo, 29; una persona, 41; in duabus naturis 44; conceptus de Spiritu S., 197; 201; natus ex virgine, 30; 205; „filius hominis", 30, num compositus, 58, filius Dei naturalis, non adoptivus, 82; num subjectus Deo et servus Dei, 85, 157, 170; num praedestinatus, 86; duplex voluntas et operatio, 68; unitas moralis voluntatum, 72; una adoratione colendus, 90; 100; quaenam in eo specialiter colantur, 95, ss. Cor, 97; ejus scientia, 103, simul comprehensor et viator, 110; 130; ejus sanctitas, 114, gratia, 114: sine peccato 119; 258; sine concupiscentia, 120; impeccabilis, 121; liber, 122; ejus potentia, 126; passibilitas, 129; perfectio corporis, 133; unicus mediator, 141; munus propheticum, 144; 192; munus regium, 145; 192; munus sacerdotale, 147; 192; potestas legislativa, 146; pro nobis satisfecit, 155; nobis meruit, 162; nos redemit, 166; se pro nobis in sacrificium obtulit, 168; perfectio mediationis ejus, intensive, 175; extensive, 180; quo sensu angelis profuerit, 183; quae sibi meruit 184; descendit ad inferos. 185; resurrexit 187; ascendit in coelum, 190; sedet ad dexteram Patris, 191; ibi mediationem continuat, 192.

Communicatio idiomatum in Christo, 73; regulae, 77; secundum Lutheranos, 76.

Conceptio Christi, 197; 202.

Conceptio immaculata B. Mariae explicatur, 241; probatur, 244;

historia controversiae, 252; institutio festi. 253; objectiones, 257.

Concilium Basileense de imm. concept, 256.

Concilium Trident. de imm. concept. 256.

Concupiscentia non fuit in Christo, 120; nec. in B. Virgine, 260.

Consummatio saeculorum quid? 8.

Convenientia incarnationis, 134.

Cooperatio Virginis ad opus reparationis, 213; 220.

Cor Jesu, objectum cultus, 97; independenter a quaestionibus physiologicis, 97; quanti aestimandus ille cultus, 98; revelationes B. Margaritae non sunt verum ejus fundamentum, 99; non potest sub praetextu novitatis respui, 99.

Corpus Christi, ejus perfectio, 133; glorificatio, 184; — B. Virginis a corruptione servatum, 261; in coelum assumptum, 261.

Cultus quid, 87; — latriae et duliae, absolutus et relativus, 88 et 89; Christo debitus, 90. 100; — S. Cordis Jesu, 97.

S. Cyrillus alex., quo sensu unam naturam in Christo urgebat, 46.

Debitum contrahendi pecc. originale in B. Maria, 242, 254; habendi sequelas pecc. originalis, 260.

Deivirilis operatio, 71.

Descensus ad inferos, 185.

Desponsatio matris Christi, 211; conveniens, 212.

Dies judicii, num Christo homini ignotus, 107; 108; 110.

Divinitas Christi probatur, 13.

Docetae 28.

Dotes a divinitate in humanitatem Christi fluentes, 102

Dulia, 88.

v. Dunin-Borkowski de prudentia, qua Christus utebatur in docenda sua divinitate, 17.

Duratio unionis hypostaticae, 64.

Ebionitae, 12; 200; 202.

S. Epiphanius dubitat de morte B. Virginis, 261.

Eutyches, 44.

Eva, quo sensu causa nostrae ruinae, 213; Maria est nova Eva, 213; 248; 268.

Evangelium infantiae indolem judaeo-palaestinensem manifestat. 202.

Evangelia synoptica divinitatem Christi continent, 26.

Exaltatio nominis Christi, quid, 184

Excellentiae humanitatis Christi, 101; maternitatis divinae, 198.

Extensio unionis hypostaticae, 62.

Festum conceptionis B. Mariae, 251; in Neerlandia, 251.

Filiatio adoptiva non datur in Christo, 82; 84.

Filius naturalis, adoptivus, 82.

Filius Dei, quid, 14.

Filius hominis, quid, 30.

Fratres Christi, 209.

Genealogiae Christi, 203.

Genus humanum, num ad gratiam reparari debuerit, 3; variis modis reparari potuisset, 5: ejus conditio in hypothesi non-reparationis, 3.

Gratia Christi-hominis, 114; gratia unionis, 114; habitualis, 115; gratis data, 117; capitis, 118.

Gratia B. Mariae, 198; 223; 234; 246.

Harnack, de titulo filius Dei, 14.

Helsinus non fuit causa, quod festum conceptionis celebrari coeperit, 251.

Honorius I in quaestione de duplici voluntate in Christo, 72.

Humanitas Christi probatur, 30; qua ratione adoretur, 94; magnis dotibus exornata, 101; ejus infirmitates, 129; exaltatio, 184.

Hyperdulia, 88.

Hypostasis, quid, 39.

Idioma, quid, 73; communicatio — in Christo, 73.

Inferi, descensus Christi ad —, 185.

Immaculata conceptio B. Virginis explicatur, 241; probatur, 244; historia controversiae, 252; objectiones, 257; festum, 251.

Impeccantia Christi, 119; B. Virginis, 238; utriusque discrimen, 258.

Impeccabilitas Christi, 121; B. Virginis, 239.

Incarnatio non est contra rationem, 134; ejus convenientia, 134; est perfectissima communicatio Dei ad extra, 136; num necessaria ad reparationem hominis, 5 et 6; num facta fuisset, si homo non peccasset, 7; quare tam sero facta, 8; definitio, 10.

Initium unionis hypostatycae, 64.

Intercessio B. Virginis in coelo, 266.

Invocatio B. Virginis non simpliciter necessaria, 267.

Jesus, nomen—, 184; vide *Christus*.

St. Joseph, pater Christi legalis et civilis, 203; ejus matrimonium cum B. Maria, 211; quare sponsus dici soleat, 211.

Judicium, num dies — Christo homini ignotus fuerit, 107; 110.

Juvenalis, ejus traditio de assumptione B. Virginis, 265.

Kenotici, 101.

Κεχαριτωμένη explicatur, 224.

Lagrange de scientia Christi, 110.

Latria, 88.

Legislator Chtistus, 146.

Leo XIII explicat, quare singulae personae divinae speciali festo non colantur, 95; docet Deum exspectasse consensum Virginis ipsiusque generis humani in incarnationem, 214; de intercessione universali B Virginis, 269

Libertas Christi, 122; quomodo cum impeccabilitate cohaereat, 123.

Libertas evangelica, quid, 146.

Loisy de titulo filius Dei, 14; de divinitate Christi, 14; errat circa scientiam Christi, 104

Magisterium Christi, 144.

Manus Christi, specialis cultus erga — reprobatur, 96.

Margarita M. Alacoque cultum publicum SS. Cordis promovit, 99.

Maria, quare a Christo non separanda, 193; est vere deipara, 195; celsitudo hujus dignitatis, 198; concepit de Spiritu S., 197: ejus virginitas, 200; ante partum, 201; in partu, 205; post partum, 207; virginitatem vovit, 210; num virginitatem maternitati divinae praetulerit, 210; ejus matrimonium, 211; quare dicatur desponsata, 211; est nova Eva, 213; 248; 268; concausa salutis nostrae, 214; 220; 266; mulier protoevangelii, 215; ejus sanctitas perfectissima et omnino singularis, 222; plenitudo gratiae, 234; regula servanda quoad dona specialia, 237; fuit immunis ab omni peccato actuali, 238; impeccabilis, 239; immac. conceptio explicatur, 241; probatur, 244; institutio festi, 251; historia controversiae, 252; objectiones, 257; Maria passibilis et mortalis, 259; 261; libera

a concupiscentia, 250; in coelum assumpta, 261; dispensatrix totius gratiae, 266; mater nostra, 271.

Mater nostra B. Virgo, 271.

Maternitas divina, 195; ejus praestantia, 198; num promerita, 199; titulus *Θεοτόκος*, 195.

Matrimonium B. Mariae, 211; quo sensu Christus fuerit fructus hujus matrimonii, 203.

Mediatio Christi in cruce, 150 seq.; perfectio mediationis Christi, 174; continuatur in coelo, 192.

Mediator. quid, 140; — principalis solus Christus, 142; quo sensu alii mediatores secundum quid, 142.

Mediatrix, quo sensu Maria — fuerit, 214; 220; in coelis, 266.

Meritum, quid? 162; — Christi pro nobis probatur, 163; quid nobis meruit, 164; quibus actibus, 165; quid sibi meruit, 184; quid angelis, 183; meritum nostrum non obscurat meritum Christi, 153.

Monophysitarum doctrina, 44.

Monotheletae, 67.

Mors Christi satisfactoria, 157; quomode sacrificium, 173; — B. Virginis, 260; 261.

Motivum determinans incarnationis. 7.

Mulier protoevangelii, quaenam? 215.

Munus. triplex munus Christi, propheticum, regium, sacerdotale, 143; in coelis continuatur 192.

Mysteria vitae Christi, quare specialiter colantur, 95.

Natura, quid, 38; duplex natura in Christo, 44.

Nestorius, ejus doctrina, 41, 195.

Newman, de titulis Christi Mariae communicatis, 218.

Novissimum tempus, quid? 8.

„**Oblatus** est, quia ipse voluit" (Is. 53, 7) non habet sensum sacrificalem. 170.

Operatio in Christo duplex, 68; — theandrica, 71.

Oratio Christi, 148; 192.

Partus B. Virginis sine dolore 206.

Passibilitas, Christi, 129; quomodo cum visione beatifica cohaereat, 131.

Passio Christi causavit nostram salutem, non exclusive, sed specialiter, 151; ejus virtus nobis applicari debet, 152; quo ordine applicetur, 153; salutem nostram causavit per modum satisfactionis, 155; per modum meriti, 154; 162; per modum redemptionis, 154; 166; per modum sacrificii, 154; 168.

Peccatum non fuit in Christo, 119; nec in B. Virgine, 238; aliter tamen atque aliter, 258;

Persona et personalitas, quid, 39.

Personae divinae secundum se nullo speciali festo coluntur, 95.

Petrus venerabilis, 17.

Phantasiastae, 28.

Pius IX episcopatum consulit de definit. imm. concept, 256; eam definit, 240.

Pius X docet, Mariam nobis de congruo meruisse, quae Christus meruit de condigno, 220; docet universalem intercessionem Virginis. 269

Plenitudo gratiae in Christo, 116; in B. Virgine, 199; 224; 234; 246.

Potentia Christi, 126; propria, 126; instrumentalis, 127; 187.

Praedestinatio, num dici possit de Christo homine, 86.

„**Primitiae** dormientium" Christus, 188.

Privilegia specialia B. Mariae tribuenda, necne, 237.

Protoevangelium, 215; 223; 244.

Profectus Christi in sapientia 113; in gratia, 116.

Redemptio, quid, 166; — generis humani explicatur et probatur; 166; num fuerit necessaria, 3; quo sensu tribuatur morti Christi, 151; singulis debet applicari, 152; quo ordine applicetur, 153; ejus perfectio intensiva, 175; extensiva, 180.

Regulae in communicatione idiomatum servandae, 77; regula secundum quam specialia privilegia B. Virgini tribuuntur, 237.

Resurrectio Christi, 187; quomodo Christus resurrexerit propter justificationem nostram, 165.

Sacerdotium Christi, 147; sacerdotium aeternum, 147; 192.

Sacrificium, quid, 168; — latreuticum et propitiatorium 168; — Christi in cruce probatur, 170; explicatur, 173.

Salutatio angelica explicatur, 224.

Sanctitas Christi, 114; B. Virginis, 221.

Sanguis immediate a Verbo assumptus, 62; quid de sanguine in passione effuso, 63.

Satisfactio, quid, 155; est necessario ad alterum, 161; — vicaria, 155; — Christi, 156; condigna, superabundans, infinita, 175; num secundum rigorem justitiae, 179; universalis, 180.

Scientia Christi-hominis ejus extensio, 103; difficultates, 107: scientia visionis, 109; infusa, 111; acquisita, 112; „proficiebat sapientia", 113.

Scotus, sententia de constitutivo formali unionis hypostaticae, 55; de filiatione adoptiva in Christo, 84; de imm. conceptione, 255.

Sequelae peccati originalis, num fuerint in Maria, 260.

Servus Jahve apud Isaiam, 157, 170.

Sessio ad dexteram Patris, 191.

Sociniani docuerunt mortem Christi non fuisse sacrificium, 172

Spiritus S. non est pater Christi-hominis, 197.

Suarez de statu hominis in hypothesi non-reparationis, 3; de constitutivo formali unionis hypostaticae, 56.

Subsistentia, quid, 40.

Suppositum, quid, 39.

Synodus pistor., de adoranda Christi humanitate, 94.

Synoptici docent divinitatem Christi, 26.

Termini concreti, abstracti in communicatione idiomatum, 77.

Theandrica operatio, 71.

Theopaschitae, 44.

Θεοτόκος, quando titulus adhiberi coeperit, 196.

S. Thomas de imm. concept. 253; 253.

Transitus B. Virginis, scripta apocrypha, 265.

S. Trinitas causa efficiens incarnationis, 60.

Ubiquistae, 76.

Unio hypostatica, 36; quo sensu dicatur physica et substantialis, 36; 37; uberius explicatur, 48; variae sententiae de ejus ratione formali, 52; comparatur cum unione animae et corporis, 59; quomodo se habeat ad S. Trinitatem, quomodo ad solum Filium, 60; extenditur immediate ad omnes partes essentiales et integrales naturae humanae, 62; ejus initium et duratio, 64.

Valentius, 28.

Valor satisfactionis Christi, num ab intrinseco condignus et infinitus, 175.

Virginitas B. Mariae, 200; — in conceptione, 197; 201; — in partu, 205; — post partum, 207; votum virginitatis et matrimonium B. Mariae, 210; 211; num Maria virginitatem maternitati divinae praetulerit, 210; virginitas mentis seu spiritus apud Patres, 245.

Virtus instrumentalis humanitatis Christi, 127; 187.

Virtutes B. Mariae, 236.

Visio beatifica in Christo, 109; quomodo cohaereat cum passibilitate, 131; num B. Virgo eam in terris habuerit, 235.

Voluntas in Christo duplex, 68; moraliter una, 72.

Votum virginitatis B. Mariae, 210.

Vulnera Christi, quare specialiter colantur, 95; quare Christus cicatrices servaverit. 189.

CORRIGENDA.

Pag. 8, linea 9: loco *conjucta* lege: *conjuncta.*
Pag. 10, linea 24: loco *deitam* lege: *deitatem.*
Pag. 11, in nota, linea 1: loco *es* lege: *les.*
linea 9: loco *Messae* lege: *Messiae.*
Pag. 16, in nota, linea 2: loco *Dadaché* lege: *Didachè.*
Pag. 18, linea 17: loco תְּאֹרוֹךְ lege: תְּאֹרוֹן.
Pag. 83, linea 15: loco *liberetat* lege: *libertate.*
Pag. 100, linea 17: loco *st* lege: *est.*
Pag. 110, in nota, linea 6: loco **52**, 13; **53**, 12 lege: **52**, 13—**53**, 12.
Pag. 120, linea 21: loco *ἱλαστήριον* lege: *ἱλαστήριον.*
Pag. 133, linea 4: loco *primitae* lege: *primitiae.*
Pag. 178, in nota, linea 4: loco *308* lege: *l. c. p. 308.*
Pag. 184, linea ultima: loco *abserva* lege: *observa.*

INDEX ANALYTICUS

DE DEO REDEMPTORE

Pag

Introductio. De necessitate reparationis humanae et incarnationis . . 1

SECTIO I. Christologia, sive de mysterio incarnationis. 8

CAPUT I. De ipsa unione Verbi incarnati 9
Art. I. De Christi divinitate 9
Art. II. De Christi humanitate 21
Art. III. De unione divinitatis et humanitatis in Christo 25

CAPUT II. De iis, quae unionem Verbi incarnati consequuntur . . . 43
Art. I. De duplici voluntate et operatione in Christo 43
Art. II. De communicatione idiomatum 48
Art. III. De unica filiatione Christi 52
Art. IV. De unica adoratione Christi 55

CAPUT III. De excellentiis et infirmitatibus humanitatis assumptae . . 66
Art. I. De scientia Christi hominis 68
Art. II. De sanctitate Christi hominis 77
§ 1. De gratia Christi 77
§ 2. De impeccantia Christi 81
Art. III. De potentia Christi hominis 86
Art. IV. De passibilitate Christi hominis 88

Epilogus: de convenientia incarnationis 93

SECTIO II. Soteriologia, sive de opere redemptionis 96
Art. I. De Christo ut mediatore 97
Art. II. De mediatione Christi in cruce 104
Art. III. De perfectione mediationis Christi 123
Art. IV. De exaltatione Christi 129

SECTIO III. Marialogia, sive de b. Maria Virgine. 136
Art. I. De dignitate b. Mariae 137
Art. II. De sanctitate b. Mariae 160
Art. III. De gloria et intercessione b. Mariae in coelis 190

Index alphabeticus 201

Corrigenda 207

10

SMITHSONIAN

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
3 0311 00103 3849
6643

BT
212
.N66
AUTHOR
TITLE
c.1
DATE DUE
BORROWER'S
6643

Noort, Gerardus

TRACTATUS DE DEO REDEMPTORE